

# SYNODUS LAUDENSIS

## OCTAVA

QUAM

ILLUSTRISSIMUS AC REVERENDISSIMUS D. D.

### CAJETANUS COMES BENALEUS

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

**EPISCOPUS LAUDENSIS**

ET SOLIO PONTIFICIO ASSISTENS

CELEBRABAT

FERIIS III, IV ET V POST DOM. XII POST PENTECOSTEN

IDEST DIEBUS 29, 30, 31 MENSIS AUGUSTI

**ANNI 1854**



EX EPISCOPALI TYPOGR. C. WILMANT ET FIL.



# MONITUM

## UNIVERSO CLERO CIVITATIS ET DIOECESIS

---

Quas vobis jam a tribus ferme annis in Synodali Conventu edicebamus Constitutiones et typis evulgaturos promittebamus, nunc tandem vobis offerimus, Venerabiles Fratres. Cum vero apprime sciatis Synodos Diœcesanas approbatione Sedis Apostolicæ non indigere ut vim habeant, easque Sacra Congregatio Concilii *revidere et approbare non consuevisse*, uti apposite refert Benedictus XIV in disertissimo opere, quod *De Synodo Diœcesana* inscribitur (*Lib. 13, c. 3, n. 6 et 7*), dum Synodalia hæc Decreta, Nostra auctoritate typis impressa, excipitis, id unum flagitamus ut quasi filii obedientiæ ea prompto animo servetis. « Etenim cum Episcopi, ita » pergit idem sapientissimus Pontifex (*Ibid. c. 4, » n. 3*) positi sint a Spiritu Sancto *regere Ecclesiam Dei* (*Act. 20*), iisque collata sit potestas solvendi et ligandi (*Matth. 18*), sive hæc

» sit immediate a Christo Domino, sive a Summo  
 » Pontefice, nemo, salva fide, potest jurisdictione  
 » nem illis abjudicare suas oves legibus obstrin-  
 » gendi, quibus obtemperare cogantur . . . . .  
 » Quocirca apud omnes Juristas principii loco  
 » est; Synodales Constitutiones facere jus particu-  
 » lare ab omnibus observandum, qui in consti-  
 » tuentis territorio degunt ». Hæc igitur scientes,  
 Venerabiles Fratres, quæ in hac Synodo tradi-  
 dimus præcepta in Domino servate, non ut Nos  
 probati videamur, sed ut vos probati sitis, et  
 nihil vobis desit, ut cum apparuerit Princeps  
 pastorum percipiatis immarcessibilem gloriæ co-  
 ronam. Vos autem monitos esse volumus, quod  
 ubi in peculiaribus Decretis aliquod temporis in-  
 tervallum vel conceditur, vel præscribitur, illud  
 ab hac die supputandum erit: idque quamma-  
 xime circa Reservationem Casuum erit præ oculis  
 habendum, prout in Capite X, et in Appendice V  
 decrevimus. Libenter etiam vobis notum facimus,  
 quod attentius consideratis animadversionibus,  
 pro licentia quam vobis in Synodo adseruimus,  
 ab aliquibus vestrum Nobis exhibitis, haud pauca  
 temperamenta adhibere, non vero additiones in  
 contextu Decretorum inducere, opportunum in  
 Domino judicavimus; ut quo facilius, eo plenius  
 a vobis eadem impleri gauderemus. Si quid autem  
 superesse perspicietis, quod difficultate non careat,



persuasum vobis sit, id non ex voluntate Nostra, sed ex rei natura procedere; simulque meminisse oportet illud Apostoli ad Hebræos (Hebr. 12): *Omnis nempe disciplina in præsentem quidem videtur non esse gaudii sed mæroris; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddat justitiæ. Omnia itaque (Philipp. 2) facite sine murmurationibus et hæsitationibus, ut sitis sine querela et simplices filii Dei sine reprehensione, in medio nationis prævæ et perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. Valet.*

Datur Laudæ ex Episcopali Nostro Palatio,  
die 31 mensis Augusti 1857.

✠ CAJETANUS. *Episcopus.*



**INDICTIO**  
**SYNODI DIOECESANÆ OCTAVÆ**  
**LAUDENSIS**

---

**CAJETANUS COMES BENALEUS**

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA  
EPISCOPUS LAUDENSIS

*Venerabilibus Fratribus,*  
*et Dilectissimis in Christo Filiis salutem in Domino*

Non exigua fortasse admiratione, Venerabiles in Christo Fratres et Filii dilectissimi, vestros animos afficiebat insumptum a Nobis consilium octavam in Nostra Diocesi Synodum celebrandi, quam in Festo Epiphaniæ Domini Nostri Jesu Christi inter Missarum solemniam proclamatam accepistis. Et re quidem vera opus, ad quod mentem adjecimus, cum in se ipso prospectum magni semper ponderis habitum fuerit, tum maxime hisce nostris temporibus perdifficile et laboriosum cuique vix illud consideranti ostenditur. Et Nos ipsi quum hujus negotii jam a sæculo apud nos

obsoleti difficultates non levi animo perpendere-  
mus, diu ancipites hæsimus; nec audebamus pri-  
mi inter veneratissimos hujus Ecclesiasticæ Pro-  
vinciæ Præsules rem aggredi, quæ vires Nostras  
excederet. Ast omnem Nobis dubitandi ansam ade-  
mit tum Pii IX Pontificis Maximi amoris quidem  
et benevolentiae plena, vehemens tamen adhorta-  
tio, quam præcepti loco habere non ambigimus,  
tum desiderium atque spes, quibus recreari cœ-  
pimus, non parvum ex synodali conventu fructum  
de vobis et pro vobis percepturos, sive ut conso-  
lemur per fidem, *quæ invicem est vestram atque  
meam*, sive ut viribus unitis contra gliscentes  
errores aptiora instruere munimina, atque cor-  
ruptis moribus magis idonea medicamina parare  
valeamus, sive ut Clericalis et Regularis disciplinæ  
splendor (de quo in Domino propter vos gloria-  
mur) ab omni prorsus macula deteresus nitidior  
effulgeat, sive ut fideles, qui Christi doctrinam in  
vitæ sanctitate referunt, in bono firmentur et ad  
meliora charismata assequenda urgeantur. Hæc  
spiritualia lucra se consecutum gaudebat eximius  
ille Apostolorum æmulator, Divus Carolus Borro-  
mæus, ex tot quos coegerat provincialibus et diœ-  
cesanis conventibus; hos animarum profectus retu-  
lisse lætabantur omnes conspicui Antistites, qui  
ejus vestigia prementes, hoc institutum Ecclesiæ  
disciplinæ tam utile persæpe adhibuerunt.

Eadem idcirco spe roborati, quam jam, tota Diœcesi perlustrata, in clericorum vitam et honestatem atque in fidelium mores inquisiverimus: quumque ex appositis notitiis, per Adm. RR. Vicarios Foraneos et Urbis Parochos suppeditatis, quæ remedio indigeant diligenter adnotaverimus, istud etiam inter episcopalia munera sane gravissimum prætereundum non esse arbitrati sumus, ut quæ vel decernenda sunt vel confirmanda, eadem maturius, Deo juvante, per synodalia comitia præstaremus. Præter eas enim utilitates, quas cursim super attigimus, synodales congressus hoc sibi vindicant commodum peculiare, ut quæ multorum iudicio et consensu sancita fuere alacriori animo, impensiori studio et zelo magis incenso excipiantur et in usum revocentur. Episcopus et clerus in eodem Dei spiritu congregati, iisdemque sanctis affectibus devincti, secum mutuo communicant caritatis igniculos et ardor exinde vividius deflagrans legibus, quæ uno animo constituuntur vel instaurantur, vigorem subdit, reverentiam adjicit, atque perpetuitatem tuetur.

Quum igitur, ope et consiliis spectabilium virorum, Capituli nempe Ecclesiæ Nostræ Cathedralis et aliorum, quos ex Urbis Parochis atque Vicariis Foraneis potissimum delegimus et iteratis vicibus apud Nos congregavimus, jam omnia fere quæ ad rem exposci videbantur præjecta et

disposita sint, non nostris quidem viribus sed D. N. J. C. virtuti confisi Diœcesanæ Synodi celebrationem vobis annuntiamus, spemque haud dubiam corde fovemus vos V. F. et F. D. ad hæc incepta diu exoptata mutuam operam impigre collaturos.

Diebus itaque 29.<sup>a</sup>, 30.<sup>a</sup> e 31.<sup>a</sup> mensis Augusti proxime adventuri Octavam diœceseos Nostræ Synodum in Ecclesia Cathedrali Hisce Nostris indicimus celebrandam. Quapropter singulis Ecclesiasticis etiam Regularibus in urbe vel diœcesi degentibus, qui nostræ jurisdictioni sive de jure, sive de consuetudine subjiciuntur, quibusque jus fasque est synodalibus comitiis interesse, præcipimus sub pœnis a Canonica Lege inflictis, ut ad prænuntiatam Synodum conveniant atque assiduo, usque dum ea absoluta fuerit, singulis intersint congregationibus. Aderit idcirco in primis Ecclesiæ Cathedralis Capitulum, quod veluti singulare episcopalis nostri regiminis præsidium studiose et peramanter invitamus: convenient insuper Vicarii Foranei et omnes animarum Rectores, ex quorum consensione, ipso rerum usu innixa, multum adquirent roboris synodalia decreta: neque demum deesse patiemur quotquot inter Presbyteros Beneficium aliquod etiam simplex quovis nomine obtinent, neve Clericos qui sint in sacris ordinibus constituti. Qui autem ex hisce omnibus

hucusque recensitis gravi aliqua causa prohibentur, quominus ad Synodum confluant, monitos esse volumus, ut eam tempestive Nobis vel Vicario Nostro Generali exponant, ne Nos Ecclesiasticis Legibus obstricti cogamur ab eis tamquam a negligentibus petere socordiae pœnas. Optamus denique ut ceteri Sacerdotes, quos strictum jus non compellit, ubi nullo præpediantur obstaculo interesse et ipsi satagant, ut plenissimo omnium suffragio cuncta definiantur ac decernantur.

Sed quo tutior spes divini auxilii nobis arri-deat, operæ pretium facturos putavimus, si ante Synodi convocationem vos invitaremus, qui Nobiscum in parœciali ministerio pondus diei et æstus perfertis, ad quietem spiritualem Nobiscum capiendam per pias mentis exercitationes, quas vestro præcipue commodo in ædibus Seminarii exhiberi curabimus, diebus more solito adsignandis. Vos ideo omnes, qui cœtum Pastorum exornatis, ad has sanctas exercitationes convolare contendite, tum ut spirituales vires resumatis, tum ad cœlestia lumina imploranda pro speciali, qua urgemur hoc anno, necessitate. Nemo itaque desit huic pietatis secessui: nemo salutaribus hisce subsidiis fraudari substineat; et si quis gravi aliqua causa impeditur, eam Nobis patefaciet per litteras ad Curiam Nostram non ultra quintam Augusti diem mittendas.

Ne vero ex Pastorum absentia dominicus grex ullam patiatur jacturam, Parochi et ceteri Sacerdotes animarum curam gerentes, priusquam iter arripiant sacris exercitationibus vel synodali conventui operam impensuri, instantibus suarum ovium necessitatibus scite consulant, infirmos visitent, eosque ubi opus sit Sacramentis muniant, probatos Sacerdotes in parœciæ regimine sibi sufficientiant, atque cetera prudenter disponant.

Quum autem, si omni, eo maxime tempore per quod isthæc sollemnis convocatio habebitur, sanctimonia et gravitas Sacerdotum elucere debeant, omnes monemus, qui hac de causa petent civitatem, ne ad cauponas divertant, quod absque decoris detrimento obtingere nequiret; sed quisque apud viros ecclesiasticos aut honestos consanguineos hospitium quærere studeat: qui illud non reperient, de hoc ante prædictam quintam Augusti diem Vicarium Nostrum Generalem per litteras certiozem reddant, ut et ipsis decentem locum Hospitiorum Præfecti provideant.

Demum quicumque Synodo sunt adfuturi, talarem vestem induant et superpelliceum cum bireto deferant: Parochi autem, præter probata quibus donantur insignia, stolam et Vicarii Foranei pluviale addant rubri coloris. Omnes insuper, quo puriores accedant, infra triduum primam Synodi diem præcedens, Sacramentali Confessione



propriam expient conscientiam, Sacerdotes Sacra peragent, Clerici sacram Synaxim suscipiant.

Interim vero non est cur ulterius cunctemur Dei omnipotentis opem, sine quo nihil salutaris ipsi cogitare aut efficere possumus, humillimis precibus exorare. Hujus rei gratia omnes Sacerdotes, a quo die hæ Nostræ Litteræ fuerint promulgatæ usque dum Synodus ad exitum deducatur, adnectant in Sacro *collectam* DE SPIRITU SANCTO. Rectores porro animarum semel atque iterum, Dominicis diebus ipsius Synodi convocationem immediate præeuntibus, Sanctorum Litanias alternatim cum populo recitabunt. Congruis etiam institutionibus fideles edoceant de gravissimo, ad quod accingimur, opere, eosque hortentur ut quotidianis precibus Dominicam Orationem et Salutationem Angelicam semel saltem contexant. Atque ut eos efficacius ad Nobis supplicas pro comuni animarum salute ferendas adducant, Plenariam Indulgentiam ipsis proponant, quam, auctoritate a Summo Pontifice Pio IX impertitâ, iis omnibus concedimus, qui confessi ac sacra Communione refecti Ecclesiam parochialem visitaverint, ibique aliquas preces fuderint, ut Synodus Nostra fructus uberrimos referat.

Ut autem quæ edicimus, omnibus, quorum interest, certo et facile innotescant, has Litteras Nostras de more promulgari et ad valvas Eccle-

siae Cathedralis et omnium Ecclesiarum Parochialium, vel in earum sacrario, affigi mandamus, volumusque ut eandem vim sortiantur, ac si singulis, ad quos attinet, seorsim fuerint denuntiatae.

Interea Episcopalem Benedictionem vobis Venerabilibus in Christo Fratribus, vobisque Dilectissimis Filiis peramanter impertimur.

Dabamus ex Episcopo Nostro, die 28 Junii MDCCCLIV.

✠ CAJETANUS, *Episc.*

*Presb. CAROLUS ALBERTI, Cancell. Ep.*

## MINISTRI SYNODALES

QUORUM FACULTATES CUM SYNODI CELEBRATIONE EXPIRARUNT

---

### *Consultores pro Congregationibus præliminaribus Synodi*

*Omnes Canonici Rever.<sup>mi</sup> Capituli Cathedralis,  
qui sunt*

- D. Vincentius Parpanesi, *Archipresbyter Cathedralis.*
- D. Aloysius Anelli, *Theologus Cathedralis et Vic. Gen.*
- D. Augustinus Tamè, *Pœnitentiarius Cathedralis.*
- D. Joseph Sommariva, *Protonotarius Apostolicus et Præla-  
tus Domesticus Sanctitatis Sæc.*
- D. Carolus Franciscus Peroni.
- D. Joseph Mamoli.
- D. Antonius Zaneboni.
- D. Josephus Fassati.
- D. Carolus Battaini.

### *Insuper sequentes*

- D. Andreas Asti-Magno, *Præpositus S. Laurentii.*
- D. Joseph Bianchi, *Præpositus Mitratus Oppidi Cotonei et  
Vic. For.*

- D. Aloysius Gallotta, *Præpositus Oppidi S. Columbani et Vic. For.*  
 D. Aloysius Veneroni, *Præpositus Oppidi Casalis-Pusterlengorum et Vic. For.*  
 D. Jacobus Dolci, *Præpositus Oppidi S. Angeli et Vic. For.*  
 D. Carolus Caleffi, *Præpositus Mulazzani et Vic. For.*  
 D. Benedictus Vegezzi, *Præpositus S. M. Magdalene.*  
 D. Dominicus Gelmini, *Rector Vener. Seminarii.*  
 D. Antonius Ghisalberty, *Lector Sacræ Theol. Dogm. in Venerando Seminario.*

### **Judices querelarum et excusationum**

- D. Vincentius Parpanesi, *Archipresb. Cathedralis.*  
 D. Aloysius Anelli, *Canonicus Theologus Cathedralis, ac Vicarius Generalis.*  
 D. Josephus Bianchi, *Præp. Mitratu Colonei et Vic. For.*

### **Promotores Synodi**

- D. Josephus Sommariva, *Canonicus Cathedralis, etc.*  
 D. Andreas Asti-Magno, *Præpositus S. Laurentii.*

### **Præfecti Disciplinæ Synodalis**

- D. Augustinus Tamè, *Canonicus Pœnitentiarius.*  
 D. Antonius Zaneboni, *Canonicus Cathedralis.*  
 D. Aloysius Veneroni, *Præpositus Casalis-Pusterl., et V. F.*  
 D. Camillus Galmozzi, *Præpositus Zeli-boni-persici et V. F.*

### **Secretarii**

- D. Antonius Ghisalberty, *Lector S. Theol. Dogm. in V. S.*  
 D. Antonius Mascheroni, *A secretis Rev.<sup>m</sup> D. D. Episcopi.*

### **Præfecti Hospitiorum**

- D. Dominicus Gelmini, *Rector V. Seminarii.*  
P. Marianus Della-Via, *Rector Collegii Clericor. Regularium*  
*S. Pauli, apud Eccles. S. Francisci.*  
D. Joseph Merlini, *Lector Philosophiæ in V. Semin.*  
D. Benedictus Vegezzi, *Præp. S. M. Magdalenæ.*

### **Procuratores Cleri in Civitate**

- D. Andreas Asti-Magno, *Præpositus S. Laurentii.*  
D. Alexander Cavallini, *Præpositus SS. Salvatoris.*  
D. Albertus Ghisi, *Præpositus S. Mariæ a Sole.*  
D. Franciscus Fenini, *Archipresbyter S. Rocchi.*

### **Procuratores Cleri in Diocesi**

- D. Aloysius Gallotta, *Præpositus S. Columbani, etc.*  
D. Jacobus Dolci, *Præpositus S. Angeli, etc.*  
D. Carolus Caleffi, *Præpositus Mulazzani, etc.*

### **OEconomus pro Cathedralico**

- D. Joseph Mamoli, *Canonicus Cathedralis.*  
D. Joannes Rizzi, *Archipr. S. Gualterii.*

### **Lectores Decretorum**

- D. Cajetanus Bignami, *Archipr. Mairagi.*  
D. Angelus Castoldi.  
D. Senator Biancardi.

### **Notarius Synodi**

- D. Carolus Alberti, *Cancellarius Episcopalis.*

### **Conseratores Synodi**

- D. Joannes Costa, *Pro-Cancellarius.*  
D. Philippus Sommariva, *Custos Archivii Curie Episcop.*

**Magister Cæremoniarum in Synodo**

D. Angelus Dragoni, *Magister cæremoniar. in Cath.*

**Coadjutor ejusdem Magistri**

D. Federicus Gaboardi.

**Ostiarîi Synodi**

D. Aloysius Granata, *Præcentor in Choro Cathedr.*

D. Federicus Gaboardi.

D. Angelus Castoldi.

**Confessarii Cleri in Synodo**

D. Vincentius Parpanesi, *Archipr. Cath.*

D. Augustinus Tamè, *Canonicus Pœnitentiarius Cath.*

D. Aloysius Fassati, *Canonicus Cath.*

D. Andreas Asti-Magno, *Præpos. S. Laurentii.*

D. Joseph Lunghi, *Præp. Laudæ Veteris et Vic. For.*

D. Aloysius Veneroni, *Præp. Casalis-Pusterleng. et Vic. F.*

D. Benedictus Vegezzi, *Præpos. S. Mariæ Magdalenæ.*

D. Joannes Rizzi, *Archipr. S. Gualterii.*

D. Alexander Cavallini, *Præpos. SS. Salvatoris.*

D. Jeronymus Beolchi, *Archipr. S. Martini in Strata.*

D. Dominicus Gelmini, *Rector V. Seminarii.*

D. Joseph Merlini, *Lector Philosophiæ in V. Seminario.*

D. Carolus Acerbi, *Coadjutor in Parœcia S. Laurentii.*

D. Philippus Baggi.

P. Marianus Della-Via, *Rector Collegii Cleric. Reg. S. Pauli.*

P. Jacobus Volonteri, *Collegii ejusdem.*

P. Carolus Parea, *Collegii ejusdem.*

P. Barnabas Garegnani, *Collegii ejusdem.*

## MINISTRI SYNODALES

QUORUM FACULTATES EX SYNODI CELEBRATIONE

ROBUR HABERE COEPERUNT

### ***Examinatores Synodales designati ab Episc. et adprobati suffragio Synodi***

- D. Vincentius Parpanesi, *Archipresbyter Cathedralis.*
- D. Aloysius Anelli, *Vicarius Generalis, etc.*
- D. Augustinus Tamè, *Canonicus Pœnitentiarius.*
- D. Joseph Sommariva, *Canonicus Cath., etc.*
- D. Joseph Mamoli, *Canonicus Cath.*
- D. Antonius Zaneboni, *Canonicus Cath.*
- D. Carolus Battaini, *Canonicus Cath.*
- D. Andreas Asti-Magno, *Præpos. S. Laurentii.*
- D. Joseph Bianchi, *Præpos. Mitratus Cotonei, etc.*
- D. Aloysius Gallotta, *Præpos. S. Columbani, etc.*
- D. Jacob Dolci, *Præpos. S. Angeli, etc.*
- D. Carolus Caleffi, *Præpos. Mulazzani, etc.*
- D. Aloysius Veneroni, *Præpos. Casalis-Pusterlengorum, etc.*
- D. Benedictus Vegezzi, *Præpos. S. M. Magdalencæ.*
- D. Joannes Baptista Rizzi, *Archipr. S. Gualterii.*
- D. Augustinus Cavagnari, *Archipr. S. Bernardi.*
- D. Alexander Cavallini, *Præpos. SS. Salvatoris.*
- D. Dominicus Gelmini, *Rector Ven. Sem.*
- D. Antonius Ghisalberti, *Lector S. Theol. Dogm. in V. Sem.*
- D. Andreas Degaudenzi, *Lector S. Theol. Moralis in V. Sem.*

**Deputati pro Ecclesiastica Disciplina  
Ven. Seminarit**

*Canonicus Archipr.* D. Vincentius Parpanesi.

*Canonicus* D. Antonius Zaneboni.

**Deputati pro regimine temporali V. Semin.**

*Canonicus* D. Augustinus Tamè, *Deputatus a Capitulo.*

*Canonicus* D. Joseph Mamoli, *Deput. ab Episcopo.*

*Præp. S. Laurentii* D. Andreas Asti-Magno, *Dep. a Clero.*

*Archipr. S. Gualterii in Suburbis* D. Joannes Rizzi, *Dep.  
ab Episcopo de Clero.*

**Punctatores Chori in Cathedrale**

*Canonicus* D. Joseph Mamoli, *electus ab Episcopo.*

*Canonicus* D. Carolus Franciscus Peroni, *electus a Capitulo.*

**Judices Synodales**

D. Aloysius Anelli, *Vicarius Generalis, etc.*

D. Augustinus Tamè, *Canonicus, etc.*

D. Dominicus Gelmini, *Rector Ven. Seminarit.*

D. Antonius Ghisalberti, *Lector S. Theol. Dogm. in V. Sem.*

**Promotor Legatorum plorum**

D. Joseph Sommariva, *Canonicus Cath., etc.*

**Revisores Librorum imprimendorum**

D. Alexander Cavallini, *Præp. SS. Salvatoris.*

D. Antonius Ghisalberti, *Lector S. Theol. in V. Sem.*



***Definitores Casuum Conscientiæ  
in Congregat. Cleri Urbani et Suburbani***

D. Benedictus Vegezzi, *Præp. S. M. Magdalencæ.*

D. Andreas Degaudenzi, *Lector S. Theol. Mor. in Ven. Sem.*

***Revisores Kalendarii***

D. Franciscus Peroni, *Canonicus Cathedralis.*

P. Barnabas Garegnani, *Congreg. Clericor. Reg. S. Pauli.*





IN NOMINE SANCTISSIMÆ AC INDIVIDUÆ TRINITATIS

PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI

NOS

**CAJETANUS COMES BENALEUS**

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS LAUDENSIS

*Ad ejusdem Dei Omnipotentis*

*atque Beatissimæ Virginis Mariæ*

*et SS. Patronorum nostrorum Bassiani et Alberti laudem*

*pro divini cultus augmento et animarum salute*

*hæc quæ sequuntur statuimus atque decernimus*

---

CAPUT I.

---

**DE FIDE CATHOLICA**

1. Quum *sine fide impossibile sit placere Deo* (*Hebr. XI, 6*) quumque ea sit, docente sacrosancta Tridentina Synodo (*Sess. VI, cap. 2*), humanæ salutis initium, fundamentum radix omnis justificationis; in hoc totis viribus contendere, præcipua in hoc studia conferre debemus, ut veram Fidem integram tutamque servemus, ac ab irrepente errorum lue sollicitè defendamus.

2. Atque in primis profiteamur oportet Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, ex cujus magisterio veræ Fidei doctrinam suscipimus, quæque semper et ubique eadem sacra dogmata credenda proposuit, arctissimo nos vinculo et insolubili adhærere, utpote quæ est columna et firmamentum

veritatis. « Et sicut intra Ecclesiam Catholicam corde cre-  
 » ditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem,  
 » sic extra eandem Ecclesiam mala credulitas non repu-  
 » tatur ad justitiam, sed ad pœnam; et prava confessio non  
 » acquirit salutem confitenti, sed ingerit mortem. Extra  
 » hanc Ecclesiam nec christianum nomen aliquem juvat,  
 » nec Baptismus salvat, nec mundum Deo sacrificium of-  
 » fertur, nec peccatorum remissio accipitur, nec æternæ  
 » vitæ felicitas invenitur. » (*S. Fulg, lib. 4. De remissione*  
*peccatorum, cap. 22*). « Sola igitur Catholica Ecclesia est,  
 » quæ verum cultum retinet. Hic est fons veritatis, hic  
 » est domicilium Fidei, hoc templum Dei: quo si quis non  
 » intraverit, vel a quo si quis exiverit, a spe vitæ ac salu-  
 » tis æternæ alienus est. (*Lactant. lib. 4. Divin. Inst.*  
*cap. 50*) ». Unde ad rem infert S. Cyprianus: « Habere  
 » jam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet  
 » matrem. (*Lib. De unitate Ecclesiæ*) ». Certum itaque  
 esse profitemur, omnes qui culpabiliter in hæresi vel schi-  
 smate vel incredulitate ex hac vita decedunt, ab æterna  
 salute omnino excludi; atque nemini fas esse absque gravi  
 contra Fidem crimine aliam habere sententiam.

5. Quum vero Dominus Noster Jesus Christus, ut suam  
 Ecclesiam unam efficeret atque in unitate perpetuo firma-  
 ret, Primatum Petro ejusque Successoribus tribuerit, capro-  
 pter Florentinæ œcumenicæ Synodo obsequentes, concordi  
 voce et animo profitemur: « Sanctam Apostolicam Sedem  
 » et Romanum Pontificem in universum orbem tenere  
 » Primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem  
 » esse beati Petri Principis Apostolorum, et verum Chri-  
 » sti Vicarium, totius Ecclesiæ Caput, et omnium Christia-  
 » norum Patrem et Doctorem existere; et ipsi beato Petro  
 » pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam

„ a D. N. Jesu Christo plenam potestatem traditam esse,  
 „ quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Concilio-  
 „ rum et in sacris Canonibus continetur. Idcirco Pontifici  
 „ Summo *Pio Nono*, uti Ecclesiæ in terris Capiti, ac Christi  
 „ Vicario, ejusque legitimis Successoribus sinceram subjec-  
 „ tionem atque obedientiam obtestamur ». In Romanis  
 enim Summis Pontificibus idem ordinis et jurisdictionis  
 Primatus continuo viget, quem D. N. Jesu Christus Petro  
 promisit, eum sic allocutus: *Tu es Petrus, et super hanc  
 petram œdificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non præ-  
 calebunt adversus eam. (Math. XVI)*. Quibus verbis edoce-  
 mur, non aliam, ut veram Christi Ecclesiam, esse agno-  
 scendam, nisi quæ super hanc petram adstruitur, et Petri  
 Successoribus vinculo communionis juncta, una et inde-  
 ficiens consistit. Et huic erga Summos Pontifices filiali obe-  
 dientiæ et constanti submissioni inhærentes, sicuti omnes  
 Pontificias dogmaticas Constitutiones reverenti et fideli af-  
 fectu ac firma mentis adhæsione veneramur atque com-  
 plectimur, ita eas præsertim accipimus et colimus, quibus  
 errores postremis hisce temporibus obtinentes profligati  
 sunt; Constitutiones nempe *In eminenti* ab Urbano VIII,  
*Unigenitus* a Clemente XI, *Auctorem fidei* a Pio VI, et *Dum  
 acerbissimas* contra errores Hermesianos a Gregorio XVI  
 editas.

4. Venerabilibus porro Tridentinæ Synodi et Provincia-  
 lium Conciliorum præceptis (*Trid. Sess. XXIV De Ref. c. 12.  
 Proc. I, II, III, et Syn. Laud. VII*) et Pontificiis sanctioni-  
 bus (*Pii IV. Anno 1564. In sacrosanctæ 88.<sup>a</sup> Injunctum  
 Nobis 89.<sup>a</sup>*), ut decet, morem gerentes, decernimus ut in  
 posterum Fidei Professionem emittant nedum omnes et  
 singuli provisi de Canonicatibus et Dignitatibus in Cathedra-  
 li, nec non Examinatores Synodales, aut Prosynodales,

omnesque Beneficium quodcumque adipiscentes, juxta vigentem consuetudinem; sed omnes etiam quos ad beneplacitum Nostrum vacantibus Paræciis Proparochos præficiemus, aut Parochi adjutores etsi ad nutum amovibiles dabimus, item Episcopalis Nostræ Curiaë Ministri, Concionatores, quando approbationis Nostræ ad hoc munus testimonialibus litteris donantur, Præceptores sacraë Thæologiæ et Juris-Canonici, et ceteri qui de jure tenentur.

5. Nullimode profecto detrahare volentes gravioribus pænis *latae* vel *ferendæ* sententiæ quas in corpore Juris, vel in Pontificiis Constitutionibus, vel in Conciliis tum OEcumenicis, tum provincialibus salubriter interminatas novimus adversus omnes, qui, cum teneantur, emittere tamen Fidei Professionem detrectant; edicimus, eos etiam omnes, quos supra descripsimus, hoc Nostro Synodali Decreto ad eandem reapse emittendam ita compelli, ut usquequo non paruerint, habeantur apud Nos tamquam inhabiles ad exercenda quæcumque munera et officia, ad quorum exercitium auctoritas Nostra Episcopalis quoquo modo requiratur.

6. Administris præterea Nostræ Curiaë, Parochis, aliisque ad quos pertinet litteras testimoniales de religione et pietate in Deum, vel de bonis moribus tradere, districte prohibemus, sub pæna indignationis Nostræ, quominus eas concedant illis, quos quum noverint ex supra sancitis teneri ad Fidei Professionem emittendam, non plane certo adhuc eos emisisse sciunt.

7. Cum autem præcipuas inter Pastoralis muneris curas, testante Apostolo, ea veniat, qua Episcopus *amplectens eum, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere* (*Tit. I, 9*), et, si quidem opus fuerit, *cum omni imperio* (*Tit. II, 15*); haud sane prætermittendum, quin

immo favente Deo, per Nos ipsos, vel per probatæ fidei administratos ad effectum in hac Nostra diœcesi traducendum ducimus, ea omnia, quæ unicuique Episcopo ad præservandam, vel ab hæretica labe purgandam Ecclesiam destrictissime, et severioribus propositis pœnis per Innocentium III in Concilio generali Lateranensi IV, Canone tertio, præcipiuntur. Qua de causa nullis parcentes laboribus, hominumque ac temporum vel favoribus vel injuriis posthabitis, ministerium Nostrum in hoc præcipue adimplebimus, ut prædicantes contra Fidem orthodoxam et contra christianos mores ad resipiscentiam adhortemur, et a depravandis ovibus Nobis concreditis prohibeamus; et tandem si quis pervicaciter restiterit, potestatem ligandi atque solvendi, quam a Christo Domino accepimus, exercentes, in nomine ejusdem D. N. Jesu Christi hujusmodi satanæ in interitum carnis tradamus, ut spiritus salvus sit in die D. N. Jesu Christi. (*I Cor. V, 4, 5*).

8. Quod ut assequamur, Sacerdotes omnes et singulos, quoniam ipsi Nobiscum pervigilare debent, ne *inimicus homo superseminet zizania in medio tritici*, in Domino admonemus, ne omittant denunciare Nobis aut Vicario Nostrò Generali eos, quos hæreticas sententias evulgare, in blasphemias hæreticales non semel, neque mente alienatos erumpere, libros quacumque de causa ab Ecclesia prohibitos detinere in propatulo, aliis nulla donatis S. Sedis facultate legendos præbere aut vendere dignoverint. Quam denunciationem, ut facilius exequantur, exhibere poterunt Parochi propriis Vicariis Foraneis (qui statim ad nos referent); ceteri autem Sacerdotes Parochis propriis, qui vel itidem Nobis, aut Vicario Nostrò Generali, aut Vicario Foraneo referre debent. Quisquis autem id ultra triginta dies implere distulerit, sciat se a Nobis punitum iri.

9. A quibus autem, et quamvis agendi ratione animadverti debeat in Typographos et Bibliopolas jussa sacrosancti Concilii Tridentini et Summorum Pontificum violantes in commercio librorum sub quovis prætextu, etiam libertatis typographicæ a lege civili concessæ, apposita instructione declarabimus (1).

10. Quum autem jam pluribus ab hinc annis nonnullas furentes ac scelestissimas sectas, vulgo dictas *società se-grete*, etiam apud finitimas regiones obortas nedum fuisse, sed adhuc perdurare ad perniciem humanæ societatis, adversus utramque potestatem, Ecclesiasticam scilicet et Civilem, inficiari nequeat; hinc Nostri muneris est, ea omnia quæ hac de re salubriter per Summos Pontifices Clementem XII, Benedictum XIV, Pium VII, Leonem XII, novissime autem per Pium IX sancita fuerunt, omnes fideles Nostræ diœcesis docere per ministerium potissime Parochorum. Præcimus itaque animarum Curatoribus, ut sedulam impendant operam in legendis Constitutionibus dictorum Pontificum, ut valeant populos sibi concreditos apprime illuminare, ne laqueis impiorum irretiantur, neve pœnas incurrant per dictas Constitutiones interminatas. Sciant quoque Sacerdotes omnes hujus nostræ Diœcesis quod nemini in posterum facultatem faciemus Confessiones audiendi, nisi prius experimento probaverit plenam dictarum Constitutionum notitiam hausisse (2).

11. Ab iis vaferrimis hominibus, qui imperitam potissimum juventutem sectarum laqueis innodare nituntur, non longe absunt quamplurimi hæreticæ labis vehementer suspecti, qui nihil antiquius habent quam Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem, præcepta, cæremonias, cleri mores,

(1) Videatur Appendix I.

(2) Videatur Appendix II.



indulgentias, defunctorum suffragia, nec non spiritualia exercitia (vulgo *Missioni*) acriter insectari. Hos Parochi in omni patientia et doctrina, atque in spiritu lenitatis primum, dein, si oporteat, vehementioribus quoque exhortationibus et objurgationibus ad sanio rem frugem revocare contendant; pervicaces autem ad Nos deferant, ut, opportunis remediis adhibitis, compescamus, sicque innoxie oves dominici gregis valeant rabidos lupos, etsi ovina pelle contactos, satis discernere ac devitare. Parochorum in hoc capite ac Ministrorum Nostrorum socordia et pusillitas animi, quoquo fucato prudentie nomine vocetur, apud Nos habebitur nedum improbanda, sed gravissimis penis punienda; fures enim et latrones animarum vel isti dicendi sunt, qui fugiendo aut tacendo, lupos in gregem sævire, ac oves rapere sinunt, cum animam suam dare pro ovibus deberent. Neque Iesus Christus, neque Apostoli, neque Martyres, neque Confessores, neque Sancti quiqui fuerunt vel sunt in Ecclesia Dei hanc Nos prudentiam, quæ inimica est Deo, docuerunt.

12. Quoniam porro ad Catholicam Fidem, pietatemque labefactandam, pudicos mores corrumpendos, sensusque Ecclesiasticæ ac Civili auctoritati infensos animis ingerendos, librorum ope potissimum, hodie impiorum hominum perfidia assurgit, et miro plane modo succrescit, ideo Pastorum sollicitudine fideles sæpe admoneantur, nisi habita ad Apostolica Sede peculiari facultate, hæreticorum libros, qui vel hæresim contineant, vel de Religione Catholica exproffesso agant, sub Excommunicationis pœna *ipso facto* incurrenda et Romano Pontifici reservata nec imprimi, nec divendi, nec legi, nec retineri, nec quoquomodo defendi posse; insuper in eandem, et si minime reservatam, Excommunicationis sententiam statim incidere quotquot

legant vel retineant *libros hæreticorum, vel cujusvis auctoris scripta ob hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita*; quemadmodum neque ceteros libros vetitæ lectionis ex Apostolicæ Sedis judicio, vel ex Nostra aut Ordinarii pro tempore hujus Ecclesiæ auctoritate, legi, retineri, vel imprimi, aut diffundi posse sine lethalis peccati reatu. Libros autem istos deferre ad Superiorem per se, vel per Parochum aut Confessarium oportet. Omnium igitur Clericorum animo numquam excidant regulæ, quæ sancta Tridentina Synodus hac in re concinnari voluit. Lectio demum librorum quorumcumque, quæ in proximum periculum gravis ruinæ spiritualis quosdam, maxime si juvenes sint, inducere valet, et eorum detentio, si perniciosam eos legendi curiositatem exstimulat, ex ipso jure naturæ prohibentur, quamvis nulla exstet lex positiva, vel quamvis facultas eosdem legendi et retinendi impetrata fuerit: inter quos libros recensendi sunt plurimi, qui vulgo *Romanzi* nuncupantur. Hæc omnia Parochi non taceant, ne tot animarum perditionis reatum incurrendo, omnipotentis Dei maledictionem sibi adsciscant.

13. Volumus insuper ut Bibliopolæ et Typographi in propriis apothecis, et in Bibliothecis publicis, vel parochialibus, vel Comunitatum, qui eis præfecti sunt, libros prohibitos, si qui sunt, in loco separato et clauso repositos habeant; atque Indicem jussu Summi Pontificis Gregorii XVI editum cum additionibus, quæ in dies a S. Indicis Congregatione promulgantur, atque quotannis in diœcesi typis evulgari curabimus, apud se consultandum teneant, ne ignorantia prætextu hæc saluberrima Ecclesiæ statuta violentur.

14. Utinam vero inter Christianos homines tanta passim esset religionis et litterarum peritia, qua bene parati illud Apostoli (*II Timoth. III, 16*): *Omnis Scriptura divinitus*

*inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia*, in semetipsis experiri possent! At quum nimia evidentia res aliter se habeat, ne infidelitatis aliæve spiritualis ruinæ periculum, ob inscitiam lectorum aut vernaculorum Bibliæ versionum perfidiam, oboriatur ex eodem Scripturarum fonte, sicuti et factum et fieri compertum equidem est in hac Nostra diœcesi; temere etenim indocti et instabiles, ut sententiis D. Petri loquamur, ad suam ipsorum perditionem Epistolas ceterasque Scripturas, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, depravant (*II Petr. III, 16*); Regula quarta Indicis Concilii Tridentini jussu statuta, et Pii IV Pontificis auctoritate per Constitutionem *Dominici gregis* firmata circa vernaculas sacrorum Librorum versiones volumnus adamussini observari. Regula est ea quidem quæ incipit *Cum experimento*. Ast huic regulæ accedit Animadversio adjecta jussu Clementis Papæ VIII, et Additio S. Indicis Congr. diei 13 Julii 1757 nequaquam oblitterandæ. Confessarii omnes, qui aliter ab eo, quod in laudata Regula IV Indicis et adjectis statutum legitur, facere præsumpserint, et pœnitentibus absque licentia scriptis per Apostolicam Sedem data non probatas vernaculas Bibliæ versiones retinentibus absolutionem sacramentalem impertiti fuerint, quin prius versiones ipsas tradere injunxerint Nobis, aut Vicario Nostro Generali in Civitate, in Dioecesi autem Parochis, aut Confessariis (qui easdem ad Nos quamprimum transmittere curabunt), ex hoc ipso facto sciant per Nos a confessionibus excipiendis suspendi. Rectores ceteroquin animarum et Sacerdotes, nec non Clerici omnes Bibliam sacram habeant, vel Novum saltem Testamentum cum probati alicujus interpretis commentariis, nec otiose retineant, sed diurna atque nocturna versent manu.

---

## CAPUT II

## DE DOCTRINA CHRISTIANA

1. Rerum divinarum inscitia, qua obtinente tot fidelium animæ intereunt, ex hoc procul dubio ortum ducit, quod vel ipsi nolunt edoceri, vel desunt qui eos doceant, vel insipienter aut inepte docentur ea, quæ credenda sunt, vel agenda aut cavenda ad æternæ salutis assecutionem.

2. Ut tantum malum avertant a fidelibus Presbyteri omnes et Pastores animarum præcipue omni solertia Christianifideles et allicere et urgere studeant ad Christianam Doctrinam discendam, hisce præsertim temporibus, quibus scientiam humanam callere nullus fere est qui non ambiat: magnum enim ex hoc oriri solet detrimentum fidelibus, dum veritates divinas, quas ignorant, audacius blasphemant, et in his quæ norunt corrumpuntur, quia ipsis non subest scientia Dei.

3. Cum itaque ad hoc Scholæ Cristianæ Doctrinæ institutæ sint, persæpe tum Parochi, tum Concionatores totis viribus fideles cohortentur, ut ad excipiendas christianas institutiones, quamquam adulta ætate, et sibi aliunde eruditi videantur, in ecclesias conveniant; cosque edoceant quo amplissimo indulgentiarum thesauro benignissima mater Ecclesia cumulandos filios suos duxerit, qui ad Christianæ Doctrinæ institutiones excipiendas assidue confluunt.

Quapropter tabulas indulgentiarum, quas Summi Pontifices Scholarum Doctr. Christianæ operariis et alumnis concessere, Parochi quotannis duobus ante kalendas Maji proximis dominicis diebus, cum frequens populus adest, promulgent (1).

4. Parochi item obsecrare et obtestari in Domino non cessent parentes, tutores, moderatores quoscumque juventutis utriusque sexus, et familiarum dominos, ne incommodis et laboribus parcant, ut famuli, pueri et adolescentes quorum cura illis est, nisi gravioribus da causis, a Scholis Doctrinæ Christianæ ne paucis quidem vicibus in anno absint; quod si in re tanti momenti negligentes, et, quod pessimum esset, contradicentes fuerint, haudquam omnipotentis Dei indignationem et ultricem justitiam effugient. Illis omnibus autem, si qui fuerint quos certo dignoverimus subjectos suos impedire, quominus ad Scholas D. C. frequenter accedant, nullo obstaculo deterriti interdictum ab Ecclesia denunciabimus; istos enim infidelibus deteriores salutaribus pœnis per Nos corripì, munus nostrum postulat: nam satis superque temporum calamitas pandit, quibus atrocioribus flagitiis humana societas, ob desidiam in educandis ad christianam pietatem pueris et rudibus, pessundetur.

5. Cum vero plurimas constet per Augustissimos Principes leges sancitas fuisse, ut publica impedimenta cujusque generis removeantur, quibus fideles a confluentia in Scholis Doctrinæ Christianæ in dies magis exturbantur, Magistratum solertiam et zelum erga Deum et Principem excitare nobis necesse est, ut leges laudatæ reapse et perpetuo ad praxim deducantur. Quapropter Vicariorum For. et Parochorum conscientiam oneramus, ut fidelissime circa

(1) Videatur Appendix III.

executionem earum legum pervigilent, Nosque certiores reddant de defectibus ut muneri et auctoritati Nostræ pro rerum necessitate pares esse possimus.

6. Præstat autem ad alliciendos fideles quoscumque ad Scholas Doctrinæ Christianæ adeundas, ut in iis omnia fiant cum decore et ordine, et, quantum tempora patiuntur, serventur regulæ huic operi præstitutæ per divum Carolum Borromæum atque per Decessorem Nostrum Ludovicum Taverna. Præstat insuper, ut eligendæ ad præsidendum huic Scholæ non proponantur a Parochis nisi personæ tum conditione, tum scientia, tum moribus præcipuæ, quod etiam servandum, quantum fieri potest, quo ad magistros in classibus, ceterosque operarios, removendo eos, qui nulla morum probitate, lenitate ac zelo ad id commendantur.

7. Nec diffitendum juvare quamplurimum constituere atque ad opus excitare prudentes viros, qui pueros et adultos etiam, ubi opus sit, « tempore ac loco opportunis, diligenter perquirant, patienter comitentur, ad Scholas alliciant, in diversas classes repartiantur, blande coerceant, accurate instruant, idque ut facilius assequantur, paternis eos quandoque hortamentis, aliquando sacris imagunculis ad Christi Doctrinæ studium, et Scholarum frequentiam peramanter inducant ». (*Synod. Laud. V, C. 2*).

8. Sed nihil conducibilius ad rem nostram, quam ut Parochi et Parochorum Coadjutores nihil omittant, ut in sermone, quem habent ad populum, expletis catechesibus, ad Doctrinæ Christianæ tractatus explanandos ordinate, breviter, perspicue, apte ad intelligentiam etiam rudiorum loquantur. Non rigida itaque scholastica methodo, nec nimis eruditionis mole et biblicorum testimoniorum numerositate disceptantes, sed interjectis identidem similitudinibus

et exemplis ex sacra potissimum Scriptura, vel ex probatis ecclesiasticæ historiæ et Sanctorum vitæ enarrationibus depromptis, curent semper, ut neque in rebus soliditas et electio, neque in dicendo accuratio et decencia desiderentur. Quod ut perficiant, non *ex-abrupto* ad docendum se exponant, sed diligenti studio parati, ex Chatechismo Romano potissimum instructionis substantia, ordine autem rerum ex Catechismo Nostræ Diœcesis desumptis.

9. Catechismus iste, juxta editiones Nostra auctoritate exaratas, ceteris omnino exculsis, unice adhibeatur in scholis Elementaribus, ut ajunt, et Gymnasialibus minoribus, in quibus vetamus, ne de eodem commentaria, vel aliæ in Doctrinam Christianam expositiones ab institutoribus scripto tradantur, sed eas tantum commendamus explicationes, quæ solent voce exhiberi ad puerorum intelligentiam erigendam et juvandam. In Scholis etiam Doctrinæ Christianæ volumus ut de hoc tantum libro legantur a magistris in singulis classibus quæsitus et responsiones, super quas explicationem, applicationem ad casus practicos, et probata, ut supra, exempla proponere poterunt. Compendium porro historiæ sacræ, quod in ipso habetur Catechismo, exponatur identidem iis, qui ad sacratissimam Comunionem admissi sunt, et adultis. Parochi autem sive illud inserant singillatim, cum res postulat, sive, prout melius videbitur, continenti enarratione persolvant, eo fideles instruere non omittant.

10. Ceterum Parochos omnes et Sacerdotes hortamur in Domino, ut nihil habeant hoc munere sanctius ac inviolabilius, atque omnia, quæ sapienter tum in Provinciis, tum in diœcesanis Synodis hac de re statuta sunt, observent; præcipue autem quæ in Synodo VII statuta fuerunt, ut a praxi nunquam excidant, confirmamus videlicet, quod 1<sup>o</sup> Semota forma concionatoria, catechistica me-

thodo procedatur; 2<sup>o</sup> Sacerdotes omnes cujuscumque ordinis, et dignitatis prærogativa fulgentes, tam in civitate, quam in diœcesi Parocho, inter cujus parœchia fines habitant, in hoc munere exequendo coadjutores sint: nullum autem Presbyterum ad confessiones excipiendi munus, ad beneficium, vel officium quodcumque promoveri sinemus, qui culpabiliter negligens fuerit in catechizandis rudibus. 3<sup>o</sup> Sacerdotum penuriæ per viros aut maturiores adolentes apprime eruditos suppleatur; 4<sup>o</sup> Non omittatur Schola Doctrinæ Christianæ sub quocumque prætextu, etiam messium colligendarum, et quacumque contradictione posthabita; 5<sup>o</sup> Conciones sacræ cujuscumque generis, aut quocumque loco habendæ non impediunt, quominus Schola Doctrinæ Christianæ omnibus diebus festis, hora statuta a prandio, signo campanæ præmisso, habeatur, saltem quo ad catecheses in singulis classibus (expositio autem Doctrinæ Christianæ a Parocho fieri tunc poterit mane loco Homiliæ ad Missam); exceptis Dominicis solemnioribus Paschatis et Pentecostes, solemnitate item Nativitatis D. N. J. C., et die quo fit Processio ob solemnitatem Corporis Christi, nec non festo Omnium Sanctorum, si in vesperis habeatur Sermo pro Defunctis, et festo solemnem ex voto populi, in quo pariter habeatur apposita Concio, atque diebus illis, quibus perdurat Expositio quadraginta horarum, nulloque omnino alio.

11. Ne autem incassum decreta Nostra abeant, præter eos ad quos Schola Christianæ Doctrinæ tum in Civitate, cum in Diœcesi visitare ex officio pertinet, Vicarios Foraneos etiam in proprio Vicariatu semel saltem in anno ad hoc munus adhibebimus, atque ex eis cognitionem sumemus de re tanta, a qua salus animarum J. C. sanguine comparatarum salus potissimum pendet.



12. « Porro Confessarii gravissimam pœnitentiam imponant, itemque Concionatores divinam ultionem denuncient et patribus familias et dominis, qui, nulla aut remissiori quam decet diligentia adhibita, omnem rationem non ineunt, ut sui liberi ac famuli Christianam Doctrinam addiscant; neque eis, quos in famulatu habent, tantum diebus saltem festis (vel alio ferali die infra hebdomadam ad hoc apposite designato), vacui temporis concedunt, quo in ecclesias aliave loca pia, ubi ea Doctrina traditur, ad illam percipiendam convenire possint. » (*Prov. V. Quæ ad Prædic. verbi Dei et ad Doctr. Chr. pert.*).

13. Nos quidem non latet quosdam inter adultos non desse, qui, quo magis indigent ut edoceantur Parochorum cura, eo magis rubore vel negotiis detinentur, ne iisdem instruendos se dedant. Magna igitur caritatis solertia Parochi per se vel per alios, hora et loco socordibus hisce personis commodioribus delectis, in omni instantia et patientia opus tam necessarium navare non refugiant. Idem singulis hebdomadibus præstare non pigeat pro custodibus armentorum die feriali et hora opportuna.

14. In villis demum parvisque pagis ab Ecclesia Parochiali remotioribus, si quæ sint Oratoria publica, in quibus Missa diebus festivis celebrari permiserimus, declaramus Nos haud in posterum, idipsum permissuros esse, nisi hac lege, quod celebrans non ante, nec post Missam, sed præcise perpetuoque post Evangelium ejusdem, clara voce brevem de Doctrina Christiana sermonem adsistentibus habeat, ac formulas Actuum Fidei, Spei, Caritatis et Contritionis recitet, vel melius præeat populo verba a se prolata reddituro, nisi forte post prandium in iisdem Oratoriis Schola Doctrinæ Christianæ habenda sit Parochorum sollicitudine, quam summopere commendamus (*Bened. XIV*

*Const. Etsi minime ann. 1742 die 7 Febr. Prov. IV De Doctr. Christ.*). Sacerdotes autem inobedientes a Missis festivis in publicis Oratoriis celebrandis prohibere Vicarii in diœcesi curabunt: incolas autem locorum, quod nullo modo Nobismetipsis persuadere possumus futurum, impediendes, quominus Sacerdos muneri suo satisficiat, Missæ commoditate in Oratorio diebus festis audiendæ privabimus; etenim favores non ad perditionem, sed utique ad salutem animarum largiri fas est.



## CAPUT III

### DE PRÆDICATIONE VERBI DEI

1. Prædicatio Evangelii a Christo Domino incœpta, atque per Apostolos et eorum in ministerio Successores ad nostra usque tempora perducta, nunquam labentibus sæculis deficiet; sicuti enim per ipsam christianæ religionis institutum, atque evangelicæ legis salutaris observantia felici omine exordium sumpserunt, et toto terrarum orbe diffusa sunt, per ipsam item perpetuo virescere et augeri debent.

2. Hujus officii muneri, quod Nobis præcipue impositum esse, non diffitemur (*Trid. sess. XXIV, De Reform. c. 4*), quantum ætas, vires nostræ, multiplicesque curæ patiuntur satisfacere conamur; sed fideliter naviterque impleri per eos etiam quos Deus Nobis adjutores dedit, Presbyteros scilicet, quibus dictum est in sacra ordinatione: *Oportet prædicare*, omnimode curare debemus.

3. In primis vero omnes, quibus animarum cura commissa est, memores præcepti divini, quo adstringuntur eas pascere verbi Dei Prædicatione, id saltem omnibus dominicis et solemnibus diebus implere non negligant (*Trid. Sess. V, De Reform. c. 2*), sibi iterantes illud Pauli: *Necessitas mihi incumbit: vœ enim mihi est, si non evangelizavero* (*I Cor. IX, 16*). Alte idcirco corde reponant omnes, ad quos attinet, Sacerdotes, nullos jam superesse festos dies,

præsertim post imminutum eorum numerum, qui adeo solemnes non sint, ut in iis Evangelii Prædicatio prætermitti queat.

4. Districte autem mandamus, ut nulla de causa ab executione muneris prædicandi verbum Dei recedant Parochi vel ipsis solemnioribus propriæ parœciæ festis, nisi forte Prædicatio in eadem Ecclesia per alium Sacerdotem ad munus concionatoris approbatum habenda sit. Omnes vero consuetudines contra debitam frequentiam Prædicationis penitus abrogatas volumus. Cupimus autem summo-  
pere, ut diebus modo e festorum numero dispunctis, dato signo campanæ etiam vespere præcedenti, diluculo ad Missam congregato populo, pio ac brevi sermone Parochus eum alloquatur.

5. Hortamur insuper et enixe obsecramus, ut tempore juniorum Quadragesimæ et Adventus D.N. (*Trid. Sess. XXIV, De Reform. c. 4*) quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, præsertim in parœciis, in quibus plusquam tria millia numerantur animarum, Parochi vel per se vel per alios sacram Scripturam et divinam legem annuntient, breviori tamen et facili sermone (*Trid. Sess. V, De Reform. c. 2*).

6. Nullo studio animarum Curatores parcant, ut singulis saltem decenniis in suis parœciis Prædicatio extraordinaria, quæ vulgo Missionum sanctarum nomine appellatur, diligentissime fiat.

7. Utinam plurimi inter Sacerdotes ad concinne et fructuose verbum Dei prædicandum parati essent et idonei! in hoc enim gauderemus, nec questus causa adesset, quod *mensis quidem multa sit, operarii autem pauci*. Verum, ne tantum munus cum animarum pernicie insipienter et indigne tractetur, præcipimus, ut in ecclesiis Nostræ

jurisdictioni subjectis nemo Ecclesiastici Ordinis, verbum Dei prædicare aggrediatur, quin antea Fidei Professionem semel emiseric, et a Nobis benedictionem et facultatem scriptis datam obtinuerit, ecclesiarum Rectoribus exhibendam. Istam porro facultatem libentiori animo dabimus Presbyteris hujus Nostræ diœcesis, qui spectatæ probitatis et prudentiæ testimonio Parochorum apud Nos commendabuntur, initoque sacræ eruditionis et doctrinæ examine coram Nobis, vel coram Vicario Nostro Generali, idoneos se ad tantum munus probaverint. Nullimode autem concionandi facultatem faciemus Sacerdoti indocto, vel inepto, vel vitioso, vel sæcularibus negotiis implicato; sed iis tantum qui timore Dei, terrenarum rerum despicientia, caritate, salutis animarum zelo, humilitate, patientia, doctrina, ceterisque ecclesiasticæ disciplinæ requisitis præditi sint: nam, ut monet Crysostomus, concionator omnibus debet virtutibus esse excultus. Hoc præ oculis sit quibuscumque in electione Sacerdotis ad unicam etiam concionem partem habentibus, ne de verbi Dei contemptu et animarum perditione correi fiant.

8. Regularibus sane in ecclesiis et oratoriis publicis sui Ordinis concionari licebit, emissa tamen Fidei Professione, ac petita a Nobis benedictione.

9. Canonicos porro Cathedralis Nostræ, Parochos, atque Præceptores et Moderatores disciplinæ in Seminario Nostro (qui tamen postremi a Nobis petent licentiam) legibus in superiori paragrapho sancitis nullimode subjacere volumus. Coadjutoribus Parochorum ex consensu vel ex mandato proprii Pastoris licebit, vel etiam pro casibus debitum erit Evangelium interpretari et e suggestu concionari populo parœciæ, in qua degunt, absque speciali Nostra facultate.

712

10. Nullus Clericus nondum Diaconali Ordine insignitus facultatem concionandi quidem petat; in ecclesia tantum Seminarii Nostri, quos Moderatores Nobis proposuerint exercitii causa, aliquoties in anno concionari permissuri sumus.

11. Si quæ sunt in diœcesi Nostra Communitates, Sodalitia, vel singulares personæ quibus nominandi Concionatorem pro Quadragesima jus aliquod consuevit adscribi, non impediemus quominus illo utantur: dummodo constet de assensu Parochi, et propositio scripta Nobis ante Festum Natale D. N. J. C. porrigatur. Quo tempore etiam per Parochos scripto proponendi sunt Curia Nostræ Concionatores ex aliena diœcesi admittendi; sin autem ex Nostra saltem decurrente mense Januario proponantur ex iis, qui jam approbati fuerint.

12. Concionatoribus ad se venientibus intra prudentiæ limites aperiant Parochi tum morum corruptelas eo loco frequentiores, tum opera pietatis quæ aut velint instituire, aut ad quæ cupiant populos excitari (*S. Carol in Instr. Præd. Verbi Dei*).

13. Ne Concionatores cursitent per alienas domos, ne colant laicorum hominum familiaritates, et ne suspicionem ullam moveant turpis quæstus, eleemosynæ vel stipendii, quod de more tribuitur, tenuitatem conquerendo (*S. Carol. ibid.*).

14. Præcipue autem veterem in aliquibus locis abominabilemque consuetudinem circumducendi prope finem Quadragesimæ Prædicatorem ad quæritandam eleemosynam per domos aut etiam cauponas parœciæ, non sine pluribus religionis, morum, et ecclesiastici decoris detrimentis, omnino eradicatam volumus; ideoque Parochis, Concionatoribus et Clericis omnibus, sub pœna indignatio-

nis Nostræ, ne hujusmodi cursitationibus intersint, severe vetamus. Parochos autem jubemus ad voluntarias fidelium oblationes colligendas non mittere, nisi viros probitate et sobrietate laudatos.

15. Eo tempore quo Concio vel Homilia in Evangelium in ecclesiis parochialibus cujuscumque loci habetur, nullibi intra fines parœciæ Missæ celebrentur.

16. Parochos autem et operarios quos in messem Domini mitti contigerit, ne infructuose loquantur, in Christi visceribus hortamur atque obsecramus, ut se ipsos præbeant exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate: contendant qui *evangelizant Sion* orationis usu et vitæ sanctitate in montem perfectionis conscendere; habet enim, teste Augustino, quantacumque granditate dictionis majus pondus vita docentis.

17. Ne temerario ausu imparati populum alloquantur, sed, quæ in concione dicturi sunt, antea rite perspecta habeant, pieque meditentur, ardentem simul Deum Patrem luminum exorantes, ut et sibi et iis, qui audituri sunt, uberissima dona largiatur. Et quoniam ad commovendos animos parum valet concio alieno labore conscripta, quia disciplinæ cibus, qui populo proponitur, mente propria quasi stomacho concoctus, vires majores habet ad sanctos affectus excitandos, ideo caveant verbi Dei Præcones, ne se totos alienis concionibus temere ingurgitent, sed de proprio ingenio, apprime exulto, concipiant ac gignant; per hoc enim se primum, deinde alios vehementius afficient. Ita S. Carolus in Instructionibus Prædic. Verbi Dei. Quarum instructionum, utpote etiam librorum S. Augustini de Doctrina Christiana lectionem omnibus Concionatoribus ardentem commendamus.

18. Nunquam autem mente Concionatorum excidat, e fontibus sanctarum Scripturarum et Traditionum, ex sanctis Ecclesiæ Patribus et Doctoribus, ex saniori theologia et historia ecclesiastica scite et fideliter omnia esse eruenta, quæ ad christiani populi institutionem e sacro suggestu traduntur.

19. Beati Pauli Apostoli exemplo sigillatim cujuscumque status et ætatis homines instruant, præcipuaque virtutum officia eis demonstrent, omnesque paterna caritate et sollicitudine erudientes, a vitiis deterreant, ad virtutes accendant.

20. Religionis incuriam, qua plures christiani languescunt, erroresque hodie serpentes vel contra Fidem, vel contra bonos mores profligare non negligant; utpote sunt rationalismus, incredulitas, religionum omnium, dummodo a polytheismo abhorreant, æqualis existimatio; deinde Potestatis legitimæ contemptus, educationis christianæ negligentia, morum corruptio, malorum librorum evulgatio et lectio, Ecclesiæ præceptorum violatio.

21. Ne semel atque iterum, sed sæpe, prout usu venerit, in eodem unius vel virtutis suadendæ, vel vitii detestandi studio versentur, quoad, quantum in se est, perenni quadam doctrinæ perseverantia et perpetua quasi pugna et contentione fidelium animos etiam in male agendo pene obfirmatos expugnent, depravatosque vivendi mores jam inveteratos radicitus, juvante Deo, evellant (*S. Carol. Instruct. Prædicat.*).

22. Ad Sacramentorum Pœnitentiæ et Eucharistiæ piam frequentiam, tamquam ad fontes christianæ justitiæ, fideles hortari non desinant: exponant autem quæ sint necessariæ dispositiones ad eadem fructuose suscipienda; sed caveant, ne eas exaggerando, vel defectus et leves culpas,



in quas labuntur qui sæpe communicant, acriter coarguendo, devotam frequentiam indirecte damnare videantur: ita ut tamquam scandalum disseminantes, Tridentinæ Synodi auctoritate (*Sess. V, cap. 2*), de mandato Concilii Provincialis Tertii (*De iis quæ ad sacr. Eccl. pert.*), Prædicatione verbi Dei a Nobis interdican- tur.

23. Sicuti ex corde vita procedit, atque de ipso exeunt nedum cogitationes malæ, sed et pessima crimina, et sicuti spiritus plerumque non judicat nisi ex motione cordis; ita Concionatores ad spiritum audientium per viam cordis accedant: per hoc enim revelantur causæ fallacium opinionum, ad quarum normam errantes se dirigunt, aperiuntur recessus sub quorum tutela in iniquitate persistunt, produntur scelerum germina, quæ animarum dominium usurpant. Hisce postmodum detectis vitiorum radicibus, eas evellere totis viribus nitantur.

24. Demum diligentissime caveant divini verbi præcones 1° ne Jesum Christum et hunc crucifixum prædicare dedignantes, semetipsos vel exquisitæ elocutionis, vel eruditionis, vel eloquentiæ ostentu prædicent; 2° ne obsoletis et peregrinis verbis ad intelligentiam plurimorum imperviis utantur, sed ita loquantur, ut non solum quisque auditor intelligere possit, se ne omnino non possit non intelligere (*S. August.*); 3° ne pariter elocutionis et culturæ contemptu, ignominia verbum Dei afficiant; 4° ne historiis prophanis, philosophorum placitis, aut quibuscumque doctrinis, quæ hominem tantum auctorem habent, plus æquo indulgeant; 5° ne verum et genuinum Scripturarum sensum corrumpant, nec falsas ac commentitias interpretationes illis affingant; 6° ne minus certa tradant tamquam de Fide definita, ast sententias utiles ac pias sanctorum Patrum ac graviorum theologorum auctoritate roboratas, quin

de limite Fidei disputent, accurate exponant; 7° ne consiliis evangelicis vim præceptorum tribuant, aut e contra; ac generatim caveant a duobus extremis tum laxitatis, dicendo *pax ubi non est pax*, tum rigoris, addendo nova et importabilia onera illi iugo, quod Christus suave esse voluit; 8° ne apocryphis historiis et falsis miraculis ad persuadendum unquam utantur; 9° ne rarius, ac si erubescerent, de novissimis, quæ Spiritus Sanctus adversus peccatum tamquam insuperabilia repagula ad meditandum proposuit, loquantur; 10° ne, ut errores adversus Fidem refellant, ita eos exponant, ut scandalum pusillis pariat, scientes quod humano intellectui via erroris facilior, quam veritatis patet; 11° ne vitia insectantes, blasphemiam præsertim et luxuriæ, incaute vel phrases infandas vel actus turpes exponere, vel eheu! deliciis styli morbidioris exornari non pudeant; 12° ne cum vitiosos quidem vehementer reprehendunt quemquam nominatim carpant, aut oratione depingant; 13° ne sarcasmata adhibeant, quæ non vincunt, sed provocant; neque scurrilitates quæ ad risum, non ad compunctionem, movent; 14° ne populum alloquentes Cleri vitia, nisi cursim et tamquam possibile potius quam realia, attingant (*S. Carol. in Instruct. Prædic.*); 15° ne quoddam vel minimum civilium partium studium sapiant; neve civiles Magistratus objurgent, sed pie potius admoneant populum dyscolis etiam præpositis obedire (*S. Carol. ibid.*); 16° ne in sermonibus querelas inferant de damnis propriæ ecclesiæ prædiis illatis, de decimis sibi non solutis, vel similibus, quibus suspicio ingeritur, quæ sua intersunt vindicandi potius, quam supremi salutis negotii curam gerendi.

25. Licet autem Concionatores, Dei adjuvante gratia nihil patruros confidamus, quod tantum ministerium de-

deceat, exemplum tamen sequentes D. Caroli Borromæi, Vicariis Foraneis onus imponimus, eos tum per se, tum per alios Quadragesimæ tempore observandi, et ad Nos deferendi, si quid forte commiserint a clericali instituto alienum. Parochi autem de proprii Concionatoris exitu, transacto Quadragesimali tempore cujuslibet anni, Nos fideliter edoceant.

26. Dignitates, Canonici et Capellani Ecclesiæ Nostræ Cathedralis tum Adventus, tum Qadragesimæ potissimum tempore, sacris Concionibus adsint, et quidem choralis habitu induti, tam præsentem, quam absentem Episcopo; norunt enim quæ de hac re statuta sint in Conciliis nostris Provincialibus. (*Prov. I de Præd. Verb. Dei circa fin. — Prov. II, Tit. II, Decr. XXVII*). In aliis vero ecclesiis Parochi, Sacerdotes et Clerici in presbyterio ad eas conveniant, suoque omnes exemplo populum doceant, qua assiduitate, modestia et reverentia ex ore Concionantium excipiendum sit verbum Dei.

27. Hortentur denique Parochi et Concionatores, et enixe obsecrent in Domino fideles omnes hujus Nostræ diœcesis, cujuscumque ordinis sint, meminisse, docente J. C., ex Deo non esse nisi qui verba Dei audit, atque propterea spe consequendæ salutis destitui omnes, qui vel desidia vel emendicatis excusationibus ab auditione verbi Dei abstinere solent. Patres etiam familias, dominos, rectores et moderatores quoscumque familiarum et populorum iterum iterumque obtestentur in Domino, ne sinant animas suas, et animas suorum fame verbi Dei perire.

---

CAPUT IV

DE SACRIS RELIQUIIS ET IMAGINIBUS

1. Ut sacris Reliquiis et Imaginibus, omni prorsus superstitione et irreverentia depulsa, debitam tribuant venerationem fideles, iis persæpe exhibeant Parochi sanam de hac re doctrinam ex Tridentino (*Sess. XXV, De invoc. vener. et Reliq. Sanct. et sacr. Imag.*) præsertim e Catechismo Romano, atque ex Bulla *Auctorem Fidei* Pii Papæ VI depromptam.

2. Publicæ in ecclesiis venerationi non exponantur Reliquiæ, nisi solemnioribus diebus vel iis, qui cultui Sanctorum, ad quos eædem pertinent, dicantur; neque id liceat nisi a Nobis vel Antecessoribus Nostris recognitæ et approbatæ fuerint, atque in decoris et nitidis thecis, sigillo authentico munitis, asservatæ (*Prov. IV, De sacr. Reliq.*).

3. Nemo audeat, Nobis insciis, sacras Reliquias vel partes earum, fracto sigillo, e thecis extrahere, atque alteri sive personæ, sive loco donare, aut sibi usurpare.

4. Parochi authenticas earumdem approbationis litteras, quas in tabulario parochiali servabunt, et Reliquias ipsas, quum Foraneæ habentur Congregationes, proferent Vicario examinandas.

5. Thecæ Reliquiarum asserventur in armariolo exterius interiusque pro dignitate exornato, sera et clave clauso,

quod in posteriore parte altaris majoris, aliove conspicuo decentique loco templi, vel in sacrario, aut altero decoro tamen cubiculo ecclesiæ adjacenti, reperiri volumus, cum titulo patenter inscripto, *Sacræ Reliquiæ* (*Prov. IV, De sacris Reliq. et Imag.*).

6. Præcipimus Parochis et ecclesiarum Custodibus vel Rectoribus, ut quoties Reliquias exponere vel reponere contingat, id non fiat a laicis, etsi ecclesiæ januæ sint clausæ, sed a Sacerdote vel Diacono superpelliceo et stola rubri coloris induto, si quæ Martyris Reliquiæ, etsi cum aliis, sint exponendæ; secus coloris albi, duobus saltem accensis luminibus (*Prov. IV, De Reliq.*).

7. Duo item lumina cerea præter lampadem in altari, ubi exposita manet vel una Reliquiarum, perpetuo colluceant, alias eadem cultui non efferantur (*Decr. S. R. C. 22 Januar. 1700*).

8. Quo ad eas locandas in altari, in quo expositum simul manet SS. Sacramentum, serventur decreta S. R. C.

9. Antequam novæ sacræ Imagines pingantur in parietibus ecclesiæ, earum exemplar aut delineatio Nobis exhibeatur, ut a Præfectis sacri Ornatus examinatæ approbentur (*Prov. VII, De novis Imag.*). Tabulas autem ac statuas pariter absque tali approbatione, et nisi a Nobis vel auctoritate Nostra benedictæ sint, in ecclesiis vel oratoriis quibuscumque exponere interdiciamus.

10. Quod si ita sint efformatæ, ut sanctam quamdam majestatem non præseferant, sed lasciviam vel prophanam venustatem spirent, sive ad risum potius, quam ad devotionem moveant, vel rudiori minerva elaboratæ sint (*Syn. Laud. VI*), vel demum periculosi erroris vulgo præbeant occasionem, non exponantur, vel ad nutum Nostrum amoveantur. Si extra ecclesias autem, vel publice

in ædiculis et parietibus, vel privatis ædibus extent hujusmodi imagines, curent Parochi ut eadem auferantur vel castigentur, Nostram etiam, si opus fuerit, auctoritatem invocando. Quæ autem extra ecclesias positæ Nostra auctoritate benedictæ fuerint, pictæ crucis indicio notentur.

11. Quæ deturpatæ vel corrosæ fuerint instaurentur, vel deleantur. Si tabulæ sint, comburantur cineresque sub pavimento ecclesiæ recondantur: si vero sint statuæ, inibi humentur (*Prov. IV, De Imag.*).

12. Ne sint in ecclesiis animalium imagines: sin autem requirantur ad piam historiam vel symbolum sacrum, prospiciatur ne quid indecorum præseferant (*Prov. IV ibid.*).

13. Virorum etsi illustrium aut benefactorum imagines in ecclesiis et oratoriis effingi atque excipi prohibemus (*Syn. Laud. VII.*).

14. Ad fovendum cultum erga sacratissimum Cor Jesu commendamus summopere, ut in omnibus ecclesiis, præsertim parochialibus, exhibeatur pietati fidelium sacra ipsius Imago.

15. Juxta frequentatum in Ecclesia morem ad fovendam fidelium pietatem et devotionem approbamus non solum, sed præcipimus, ut in omnibus ecclesiis, in quibus extant Imagines vel Statuæ D. N. J. C. et B. M. V., quæ peculiari cultu excoluntur, decenti mobilique velo (quod in posterum, si renovetur, non alia imagine, sed siglis vel symbolis in Ecclesia usitatis, si libet, ornetur), cooperiantur, exceptis diebus solemnibus, Dominicis *Gaudete et Lætare*, et diebus festis in honorem prototypi, ac quotiescumque ob causam etiam privatam Missa celebranda sit ad altare, in cujus palla locatæ sunt, vel alia Functio sacra coram illis peragenda; quibus in casibus duæ saltem candelæ ante eas ardeant.

16. Simulacra non induantur vestibus vel amictis profanis; non anuli inserantur digitis, nisi unus et alter prætiosiores (*Urbani PP. VIII. Const. Sacrosancta Trid. Syn. 15 Martii 1642*) (\*).

17. Ejusdem prototypi sub eodem titulo (præter Jesu crucifixi) Imagines duplices in eadem ecclesia venerationi offerre dedecet.

18. Tabellæ, quæ vota nuncupantur, sive pictæ, sive cereæ, sive argenteæ, sive ex alia quacumque materia nullo modo in ecclesiis exponantur absque Nostra vel Vicarii Nostri Generalis licentia (*Synod. Laud. VI*). Si quæ expositæ sint sine tali approbatione, amoveantur.

19. Parochi hortentur fideles, ut domi quoque sacras Imagines habeant: quod si turpes vel impias tenere sciant, illas omni studio ab iis removeri ac destrui curent; si vero non paruerint, in Visitatione Pastoralis Nobis denuncientur (*Prov. IV, De Visit.*)



(\*) In posterum districte prohibemus quominus benedictione donentur effigies sive statuæ D. N. J. C., B. M. V. et Sanctorum nisi de ligno, lapide, vel metallis confectæ fuerint.

## CAPUT V

## DE FESTORUM DIERUM OBSERVATIONE

1. Etsi tum naturales, cum Ecclesiasticæ leges impensiori cultu Deum diebus festis adorandum esse conclamentent, atque tam in Veteris, quam in Novi Testamenti paginis, divino sæpe iterato præcepto, festos dies religiose sancteque transigendos esse mandetur; nihilo tamen secius ex animo dolere compellimur, quod crebro variisque modis iidem contemnantur, et contra eorum observationem quamplures in hac civitate et diœcesi abusus irrepserint. Quare Parochos et Concionatores, quibus præsertim animarum salus cordi esse debet, ardentissime hortamur atque obsecramus in Domino, ut multum laboris et industriæ collocent in his corrigendis et extirpandis. Inobsequentes moneant, præcentur, obtestenturque; dehiscant et invehantur in pertinaces.

2. Confessarios etiam compellamus, eisque auctores sumus, ne se faciles præbeant ad sacramentalem absolutionem impertiendam iis, qui frequenter et absque ulla rationabili causa ab hac sanctissima lege aberrare non erubescunt.

3. Parochi non semel in anno doceant fideles, præceptum dies festos sanctificandi obligare sub gravi peccato,



etiam seposito scandalo et absente contemptu (*Innoc. XI, in damn. Prop. 52*).

4. Potissimum vero fideles instruant, ne Sacro audito reliquum diei festi otio et genio indulgendo insumant: « Homo etenim, ait D. Thom. (2, 2, q. 122, a. 4) ad hoc « ab aliis operibus abstinet in die Sabbati, ut vacet operibus « ad Dei servitatem pertinentibus ». Omne igitur studium adhibeant Pastores, ut persuasum habeant omnes, dies festos esse, ut ait Chrysostomus, bonorum operum exhibitam copiam.

5. Parochi, verbique Dei præcones moneant populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus dominicis et majoribus festis, accedant (*Trid. Sess. XXII, De observ. et vitand. in celebr. Missæ*). Moneant etiam diligenter teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei (*Trid. Sess. XXIV, Cap. 4.*).

6. Præceptores item pueros et adolescentes, quos erudiendos in litteris vel scientiis susceperint, instanter et sæpe hujus præcepti vim magna animi contentione edoceant.

7. Quum insuper ad festorum dierum sanctificationem duo hæc negativa præcepta pertineant, unum scilicet quo opus quodcumque servile prohibetur, alterum autem quo venditiones vetantur rerum quarumcumque ad mercaturam spectantium; hinc nobis totis viribus instandum, ut abusus omnes, qui in dies radices agunt et crescunt, omnino evelantur.

8. Plaustis et vehiculis superimponere, vel deponere onera, aut eadem onusta ducere, etsi in vesperis fiat diei festi, vetitum esse sæpe in memoriam rusticorum ac mercatorum revocent Parochi.

9. Tonsoribus præcipimus, ut si ex justa causa opus proprium diebus festis exercere contingat, attamen tempore divinorum Officiorum ab eo absistant, et officinas absolute claudant.

10. Cauponæ et Tabernæ pariter omnino clausæ maneat tempore divinorum Officiorum, quæ sive ante, sive post meridiem in parochiali ecclesia perficiuntur, nec in iis incolas eo tempore commorari patiatur.

11. Edoceantur rustici potissimum quod, si periculum ne linum, fœnum, fruges et fructus imbre, grandine, aliave noxia tempestate vastentur, ita non urgeat ad servilia opera exercenda, ut ex mora damnum timeatur, Superiores Ecclesiastici adeundi sunt, et ab iis venia petenda est, ne temere lex infringatur.

12. Servilia opera, quæ gravis quædam causa fieri exposcat, si clam exercentur, tum Parochi quo ad suas oves, tum Confessarii quo ad suos pœniterentes dispensare poterunt; si vero publice facienda sint, etsi in bonum Communitatis, in civitate a Nobis vel Vicario Nostro Generali tantummodo permittantur; in diœcesi vero Parochus illius loci, in quo peragenda sunt, eoque absente, Coadjutor, non Confessarius, dispensare poterit, admonitione facta, ut, ex lucro aut utilitate inde percepta, in ecclesiam vel pauperum levamen aliquid erogetur. A nemine autem etiam ex evidenti necessitate sibi hujusmodi licentia arrogetur absque venia Ecclesiæ, nisi cum urgens casus ullam non patitur morari.

13. Diligentius porro die festo abstineant fideles a ludis prohibitis, a jurgiis, a commensationibus et ebrietatibus, a larvis, a choreis, ab impudiciis, a theatris et spectaculis, ne dominici festique dies, qui ad Dei honorem cultumque impensius præstandum, et ad animarum san-

ctificationem constituti sunt, in superni Numinis ac Cœlitum contemptum, atque animarum perniciem fœdissime vertantur. Absit itaque ut ibi adolescat peccatum, ubi occidere oportebat.

14. Cum autem Principum pietate providæ constitutæ sint leges, quibus hujusmodi transgressionem et scandala vel coercentur vel amoventur, animarum Curatores adeo illas callere volumus, ut per eos, ad quos spectat, ipsarum executionem promoveri non omittant, negligentesque Magistratus a superioribus corripiri vel per se, vel per Nos curare non desinant.

15. A consuetudine quoque itinera diebus festis suscipiendi fideles avertere satagant Pastores. Ecclesiastici vero homines, quicumque sint, et ii præsertim qui divinorum Officiorum celebritatibus in choro adesse debent, videant atque adeo caveant, ne sacris illis diebus, quos in Dei laudibus, religiosisque pietatis officiis et in ecclesia potissimum a Clero consumi oportet, iter, nisi ob urgentem causam, suscipiant, ut hoc etiam eorum exemplo excitati fideles sacris illis diebus a divinis Officiis opere itinerario non avocentur.

16. Denuntient Parochi singulis Dominicis populo ad divina in ecclesia congregato, qui forte in hebdomada vel in sequenti Dominica dies festi occurrant; item jejunia, preces pro Ordinandis fundendas, indulgentias et peculiare functiones perficiendas in parœcia. Ne autem choreis, computationibus aliisque operibus tenebrosis Patronorum festa, et maxime Sancti Patroni diœcesis nostræ tum a civibus, tum a diœcesanis urbem advenientibus probrose violentur, omnium virium contentione adnitantur a tanto facinore deterrere fideles, atque omni instantia hortentur ad pietatis exercitia, et ad devotam Pœnitentiæ et Eucha-

ristiæ susceptionem. Vespere deinde unumquodque festum præcedente, vel circa primam noctis horam in parœciis detur signum, congrua æris pulsatione, quo sequentis diei festivitas in omnium memoriam iterum revocetur.

17. Hi autem dies, ultra dominicos, sanctificationis præcepto in nostra diœcesi divino cultui addicti sunt:

- |  |   |              |
|--|---|--------------|
| 1. Nativitas   | } | D. N. J. C., |
| 2. Circumcisio   |   |              |
| 3. Epiphania   |   |              |
| 4. Feria 2. <sup>a</sup> post Pascha                   |   |              |
| 5. Ascensio  |   |              |
| 6. Festum SS. Corporis                                 |   |              |
| 7. Feria 2. <sup>a</sup> post Pentecosten,             | } | B. M. V.,    |
| 8. Festum Purificationis                               |   |              |
| 9. " Annuntiationis                                    |   |              |
| 10. " Assumptionis                                     |   |              |
| 11. " Nativitatis                                      |   |              |
| 12. " Conceptionis Immaculatæ                          |   |              |
| 13. " Omnium Sanctorum,                                |   |              |
| 14. " SS. Apostolorum Petri et Pauli,                  |   |              |
| 15. " S. Stephani Protomartyris,                       |   |              |
| 16. " S. Bassiani Episcopi Patroni Civit. et Diœcesis. |   |              |

## CAPUT VI.

---

### DE JEJUNIO ET ABSTINENTIA

1. Ad festorum celebrationem sancta potissimum nos comparant jejunia, inter quæ profecto solemnus est quadragesimalis (*D. Thom. 2 2, Q. 147 ad 8*), tum quia observatur ad imitationem Christi, tum quia per ipsum disponimur ad Redemptionis nostræ mysteria devote celebranda. Ex Litteris porro Apostolicis in forma Brevis felic. record. Pii Papæ VI (27 Maii 1786), abrogata obligatione jejunii in vigiliis quorundam dierum, qui modo e festorum numero dispuncti sunt, qualibet quarta et sexta feria cujuscumque hebdomadæ Adventus nobis jejunium, quo mundantur corda ut digne ambulemus in occursum Christi, indictum fuit. Sequuntur dies vigiliarum tum Nativitatis D. N. J. C., ac Pentecostes, tum Assumptionis B. M. V., Sanctorum Omnium, SS. Apostolorum Petri et Pauli atque S. Bassiani Patroni principalis civitatis ac diœcesis, ut a vitiis expiati religiosius ac fructuosius festa celebranda suscipiamus. Veniunt denique quarta, sextaque feria ac sabbatum quatuor anni Temporum, quæ nedum in eum finem jejunio dedicata fuere, ut debitas summo Largitori gratias pro collatis beneficiis, potissimum vero pro perceptis terræ frugibus, ageremus, novosque ab ipso efflagitarem; sed etiam tum ut fideles optimique Ecclesiæ ministri, qui tunc sacra instituuntur Ordinatione, impetrentur, cum ut nullum esset in anno tempus pœnitentiæ expers.

2. Ad hunc quoque finem in qualibet hebdomada abstinentiam a carnibus feria sexta et sabbato servandam (uno excepto Natali Christi die) sapienter præcipit Ecclesia.

3. Sancta Tridentina Synodus (*Sess. XXV in decr. De delectu cibor.*) Pastores omnes, inquit D. Carolus (*Prov. I, p. 1, De jejunió*), hortatur atque obtestatur, ut omnem adhibeant diligentiam ad fideles cohortandos, ut ea, quæ ad domandam carnem conducunt, præsertim ciborum delectum et jejunium, omni studio amplectantur.

4. Quapropter, quæsita sæpe dicendi occasione, de horum dignitate et utilitate studiose disserant Pastores. Ostendant religiosam observantiam jejunii ideo jugi Ecclesiæ præcepto rite et solerter custoditam fuisse, quod, D. Ambrosio teste, « refectio sit animæ, sit cibus mentis, culpæ mors, excidium » delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum » castitatis ». Abstinentiæ insuper a carnibus, ab Ecclesia statis diebus præceptæ, loco jejunii quod primævis Ecclesiæ sæculis aliquibus diebus in hæbdomada servari consuevit, ab ascetis omnibus primitivisque fidelibus ad miraculum usque servatæ, a philosophis ipsis gentilibus encomiis atque usu assecutæ, laudes celebrare et necessitatem inculcare non desinant tum Parochi, tum Concionatores, ut hodiernos Sybaritas rubore suffusos ad christianam carnis mortificationem inducant.

5. Porro ut antiquas et putidas Novatorum opera excitatas fabulas exsufflent Pastores in civitate et in frequentioribus oppidis tum ex divinis Scripturis (*Joel. II, Tob. XII, Ad Galat. V, Math. XX, Luc. 2, Act. XIII, etc.*), tum ex SS. Patrum testimoniis, tum ex Conciliorum et SS. Pontificum decretis uberrima et invincibilia argumenta ad jejunii et abstinentiæ utilitatem et necessitatem firmandam eruere curabunt. Doceant insuper omnes

lethaliter peccare non illos tantum, qui jejunium Ecclesiae ad quod tenentur ex contemptu vel inobedientia frangunt, sed et omnes qui non ex infirmitate quidem vel oblivione, ast ex negligentia aut gula jejunia ab Ecclesia statuta missa faciunt: quum Alexander Papa VII anno 1666 in Propositione 25<sup>a</sup> oppositam damnaverit doctrinam. Hoc etiam quod carnes absque legitima dispensationis causa comedere, quandocumque ab Ecclesia vetitum est, mortale peccatum sit, expressis verbis enuncient non semel in anno inter Missarum solemnias in ipsis exiguis pagis, quando adesse solent illi ipsi, qui alias explanationi Doctrinae christianae post meridiem non intersunt, capta occasione Quadragesimae, Adventus, aut cum occurrentia per hebdomadam jejunia, juxta Synodorum sanctiones, dominico die praecedenti populo promulgabunt. Quod et Concionatores auditoribus, et Confessarii poenitentibus saepius inculcare non omittant.

6. Ad hoc autem ut ex Christi fidelium memoria nequaquam excidat debitum jejunia et abstinentias servandi, pridie singulorum dierum esurialium ad vespertas post signum Salutationis angelicae, sono campanae maximae aliquantulum protracto, in unaquaque ecclesia parochiali diocesis indicium jejunii sequentis diei dari praecipimus: in civitate autem in Ecclesia Cathedrali tantum. Ante dimidium vero noctis, quae feriam quartam Cinerum praecedit, itidem campana maxima cujusvis parociae valde productius pulsetur, ut jejunium atque abstinentiam a vetitis cibis imminere fideles praemoneantur.

7. Appropinquante autem tempore quadragesimali eos, quibus ex legitima causa permissum est carnibus vesci esurialibus feriis, doceant Parochi sequentibus conditionibus in dispensatione vel tacite, vel expresse appositis

obstringi. Harum prima est, ut qui dispensantur, unica sint comestione contenti, atque adeo in vespertina refectiuncula carnes aut lacticinia non edant, ne in ea quidem quantitate quæ jejulantibus permittitur, sed eo cibo eaque portione utantur, quibus utuntur homines jejunantes rectæ meticulosæ conscientiæ (*Clem. XI in Resp. ad quæst. Arch. Compostell. ann. 1744, 8 Julii*); si tamen nulla certa ratio ob periculum salutis intercedat, quæ aliter faciendum suadeat. Secunda, ut licitæ atque interdictæ epulæ, carnes scilicet et pisces, quadragesimalibus etiam dominicis diebus non simul adhibeantur. Attamen piscibus edendis non interdicitur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova et lacticinia. Has autem leges de unica comestione, de ciborum delectu et usu in refectiuncula, et de non permiscendis epulis licitis cum interdictis, etiam extra Quadragesimam diebus jejunii urgere declaravit Bened. XIV, Constitutione *Libentissime*, edita ad reparandam jejunii disciplinam pravis multorum opinionibus sive consuetudinibus haud parum labefactatam.

8. Ne scrupulis conscientiæ turbentur, docere oportet, “ fideles qui ratione ætatis vel laboris jejunare non tenentur, ”  
 “ licite posse in Quadragesima, cum indultum concessum ”  
 “ est, omnibus diebus in indulto comprehensis vesci car- ”  
 “ nibus aut lacticiniis per idem indultum permissis, quoties ”  
 “ per diem edunt ” (*Sacra Pœnit. 16 Januar. 1854 de mand. Pii Papæ VII*). Docendum etiam quod, si Paterfamilias, cui facta est *legitima facultas* edendi carnes in Quadragesima, *parare non potest, aut parari non vult* duo prandia, unum cum carnibus, aliud cum cibus esurialibus, tunc  
 “ posse personis, quæ sunt in potestate Patrifamilias, per- ”  
 “ mitti uti cibus Patrifamilias indultis: adjecta conditione ”  
 “ de non permiscendis licitis atque interdictis epulis, et de



» unica comestione in diebus, quibus jejunare tenentur (*Sacra Pœnit. ut supra*). Sed animadvertere oportet, id licere supradictis personis tantum 1<sup>o</sup> quando Paterfamilias *legitima facultate* pro se gaudet: 2<sup>o</sup> dein quando idem Paterfamilias *esuriales cibos parare non potest, aut parari non vult*; non autem quando aliæ personæ ex se id facere arbitrantur. Verum, si ex una persona familiæ dispensatione fruente velit ipse Paterfamilias dispensationem ad cæteras familiæ personas extendere, admoneatur, « infirmitatem et aliud » quodcumque rationabile impedimentum de utriusque » medici consilio, non vero gulam, avaritiam, aut expensarum compendium eximere posse a præcepto abstinentiæ » in diebus esurialibus » (*Sacra Pœnit. ut supra*). Admoneatur etiam ut caveat, ne ad parvipendendas leges Ecclesiæ suo exemplo subjectas familiæ personas inducat.

9. Volumus insuper fideles diligenter edoceri, a jejunio vel abstinentia, quæ ad retundendam carnis petulantiam instituta sunt, non quodcumque incommodum, sed grave tantum excusare. Cum autem nemini de semetipso judicare fas sit, nisi ex evidenti necessitate et quando locus vel tempus non patitur plenius consilium adhiberi; hinc Rectores animarum fideles erudiant quanto studio temeritas in dubiis hac de re obtingentibus vitanda sit, ac proinde utriusque medici consilium exquirere oportere, ne, dum corporis incolumitati prospiciunt, animæ jacturam faciant. Hinc si quis hujusmodi aliqua necessitate prematur, corporalis medici timentis Deum expetito judicio, humiliter a proprio Confessario, vel a proprio Parocho dispensationem juxta indigentiam petat.

10. Facultatem capropter Confessariis pro singulis pœnitentibus, Parochis autem pro singulis personis quo ad jejunium, sed quo ad abstinentiam etiam pro singulis fa-

miliis sibi subditis dispensandi impertimur, ut, justa de causa medici judicio approbata, petentibus indulgeant. In pagis autem ac ruribus, ubi nullus invenitur medicus, solus Parochus, vel solus Confessarius cum restrictionibus supradictis, causa diligenter cognita, si videbitur expedire, dispensare queat.

44. Inhibemus autem Parochis quominus in ecclesiis publice enuncient, se actu dispensare hos vel illos personarum cœtus aut personarum condiciones: verum tales se exhibere cupimus, ut a fidelibus familiariter adiri possint ad dispensationem petendam, sicque plana aperiatur via piis monitis et consiliis illos imbuendi. Caute vero se gerant ut, media incedentes via, nimiam indulgentiam nimiamque severitatem ex æquo declinent: quos autem jejunii lege quoquomodo solvendos duxerint, hortentur, ut divinæ justitiæ satisfacere nitantur elemosynis, sacramentorum et divini verbi frequentia, aliisque pœnitentiæ ac pietatis operibus.

42. Medicos autem tamquam Ecclesiæ Catholicæ filios monemus et in Domino exhortantes obsecramus, ut qui probe sciunt jejunium et abstinentiam animabus corporibusque curandis salubriter ab Ecclesia instituta, nec vitæ nec sanitati communiter obesse, ut falso quidam contendunt, quum imo temperantia ac frugalitas in cibis, experientia teste, bonæ valetudinis sit mater; atque ideo pro dispensatione a jejunio et abstinentia veram justamque causam semper requiri; hancque plenam exemptionem non omnibus æque convenire, cum alii tantum jejunii dispensatione, alii esus carnium sola concessione, et quidem fortasse ad tempus, alii denique utroque indigeant auxilio: hinc nulla personarum habita ratione, causas ipsi accurate expendant, et cujusque necessitati judicium suum attemperent, ne

nimia facilitate aut conniventia se graviter violatæ legis culpa obstringant.

15. Parochi demum ac Concionatores, sacerdotali zelo incitati, complicitatis imo et scandali culpa eos infici prædicent, qui diebus jejunii vel abstinentiæ vetitos cibos in cauponis vendere, aut in mensis apponere non verentur adventoribus, hospitibus, viatoribus aliisque, nisi de facultate ab hisce obtenta, non quidem ex ipsorum futili et inverisimili tantum assertione, sed plane aliunde constet, aut nisi milites fuerint. Eapropter, statuta et pœnas contra hujusmodi flagitiosos in Conc. Provinc. V (*De iis quæ ad dies fest. et sacra Temp. pertinent*) præ oculis habentes, nihil morabimur quominus ipsi rigide coerceantur. Sciant quoque delinquentes isti, quod pœnas in ipsos statutas per Legem ipsam civilem haud facile in posterum effugient. Vetitum volumus etiam lanionibus et tabernariis (vulgo *bottegai*) exponere carnes vendendas diebus supradictis, nisi immediate præcedentibus diem a jejunio et abstinencia exemptum.

---

CAPUT VII

DE SACRAMENTO BAPTISMI

1. Sacramentum Baptismi per quod renati ex aqua et Spiritu Sancto, « Christum induentes nova prorsus in » illo efficimur creatura, plenam et integram peccatorum » omnium remissionem consequentes (*Trid. sess. XIV, c. 2*) » ceteris Sacramentis veluti janua pauiditur, vitæ Christianæ et æternæ salutis principium et fundamentum est. Ex hoc liquet quam grave onus Pastoribus incumbat, tum ut illud rite administrent, vel ab aliis administretur; tum ut omnes, qui illud susceperunt, reminiscantur pacti quod in hoc Sacramento sponderunt, conditionis qua accesserunt, ac demum militiæ, cui nomen dederunt; hinc fideles omnes hortandi, ut quotannis anniversarium sui baptismatis diem piis operibus colant (*Prov. VI. De Baptism.*).

2. Verum cum tantæ necessitatis Sacramentum urgenti casu a quolibet administrari contingat, perspicue docendum est a Parocho semel saltem in anno, nempe mediante Novembri postquam novi venerunt incolæ in parœciam, qua ratione rite per omnia conferri debeat (*Ad ment. Rit. Rom. De minist. Baptism.*).

3. Obstetrices private (in Ecclesia tamen) examinare et diligenter, si oporteat, instruere præcipimus Parocho, quando eædem noviter hoc officium assument in propria parœcia, etsi aliunde et alibi jam probatæ fuerint (*Prov. IV. Quæ pert. ad Sacr. Baptism.*). Præcipimus etiam Vicariis Foraneis ceterisque ex Nostro Mandato Visitoribus, ut

quoque triennio, occasione Visitationis cujusvis ecclesiae parochialis, earundem hac de re peritiam experiantur (*Ad mentem Proc. V. Quæ ad Baptism.*).

4. Quod Provinciali Concilio Quinto (*Ibid*), et Diocesana Syn. Sexta (*De Bapt.*) mandatur Obstetrici « ut curet » quoad fieri potest, ut duæ saltem mulieres ac mater » præsertim, si potest, testes præsentés adsint, quæ in » baptizando verba ab ea prolata audiant », servari ab omnibus, quoad fieri potest, in necessitate baptizantibus, et viros etiam, si decentia non obstat, adhiberi hortetur Parochus, eosque testes ad se adduci curet; secus eosdem vel tum, vel postea adeat Parochus, ut de re tota certior fiat: eorum autem nomina in libro baptismorum exprimat juxta formulam Ritualis Romani in qua dicitur: *ut mihi retulit N.*

5. « Parochus vero, cum perquiret ex decreto Provinciali (*Provinc. V, ibid.*) an infans baptizatus sit, diligenter obstetricem et testes etiam de verbis prolatis interroget; » de ceteris autem actibus Baptismi prout oportere videbit. Præ oculis habeat, hoc examen non esse omittendum, etsi mulier illa, aut vir baptizans in Universitate publica de hujus administrationis peritia approbationem habuerit, cum Nobis compertum sit opiniones a recta Theologia absonas quo ad Baptismi collationem apud quosdam obtinere. Hæc autem multo magis exquiret a personis ad baptizandum non probatis. Hujusmodi tamen personas non coram aliis, sed separatim interroget, tum honestatis causa, tum ne ob ruborem sileant quod forte errando patrarunt.

6. Quamvis Parochus sub conditione baptizare debeat infantes, quoties de Baptismo eis domi collato prudenter dubitat vel ex imperitia baptizantis, vel quia ob improbos mores ejusdem baptizantis aut testium, eorundem attesta-

tionem suspectam habere debet, vel ex alio quovis probabili motivo; caveat tamen ne ad vitandam molestiam in rei veritate exploranda, Baptismum iteret quamvis sub conditione, quin debitas præmiserit investigationes; per hoc enim neque irreverentiæ reatum, neque irregularitatis periculum effugiet.

7. Malis moribus imbutam Obstetricem non perferat Parochus proprio munere fungi in sua parœcia, sed removeri omnino curet, Nostram quoque, si oporteat, auctoritatem postulando.

8. Admoneri debent parentes, ut neonatos suos cito offerant ad Baptismum, pœnamque excommunicationis statutam esse in illos, qui ultra octavum diem differunt (*Prov. I, Quæ pert. ad Bapt. admin.*). Domi autem baptizatos intra quindecim saltem dies deferant ad Ecclesiam, ut sacræ Cæremoniæ eis adhibeantur. Singulis autem vicibus cum Baptisma ministratum fuerit, vel sacræ Cæremoniæ expletæ, signum festivum æris campani reddi debet etiam pro pauperibus, iis saltem in locis in quibus pro divitum natis illud signum elici solet.

9. Parentes insuper Parochus hortetur, ut bene moratos tantum eligant in patrilinos; ipse vero non admittat eos, qui excluduntur a Rituale Romano, ac præsertim non vereatur excludere notorios transgressores cujusvis gravis præcepti Ecclesiæ: quos vero admiserit, saltem in primis vicibus, admoneat de spirituali cognatione quam contraxerunt.

10. Legant interdum Sacerdotes, præcipue qui curam animarum habent, quæ de hoc Sacramento administrando, et de modo supplendi Cæremonias præscribit Rituale Romanum, ut ea adamussim servent: curæ porro sit Parocho assistendi pro primis vicibus Neo-Sacerdotes baptizantes, nequid in re tanti momenti erroris admittant.

11. Sacerdos antequam Baptismum administret brevem orationem præmittat, si datur opportunitas (*Rit. Rom. De iis quæ in Sacram. admit. serv. sunt*), atque sacræ actionis, quam executurus est, dignitatem consideret.

12. Non unicam stolam mixti coloris adhibeat: linteolo ipso, quod ad abstergendum digitos proprios et infantis caput adhibetur, non utatur pro veste candida imponenda infanti baptizato. In Baptisterio, Parochorum cura, omnia sint munda a pulvere ac sordibus: vascula autem sacrorum Oleorum et cochlear nitore fulgeant, ideoque sæpe diligenter mudentur: gossypium item et mappulæ sæpe mutantur.

13. Districte præcipimus servari quod Rituale statuit, magnæque significationis est, ut baptizandus pro primis exorcismis extra ecclesiæ jannuam sistatur, nisi magna intemperies aliud aliquando exigat, reprobantes omnem contrariam consuetudinem.

14. Concilii Provincialis IV statutis fideliter obsequens  
“ curet Parochus, ut infantibus ea nomina non imponantur,  
” quæ turpia, aut ridicula sunt, quæve gentilium, atque  
” ideo impiorum et impurorum hominum memoriam refe-  
” rant; sed illorum qui ob veræ pietatis, ac sanctæ reli-  
” gionis, virtutisque christianæ laudem, Sanctorum numero  
” adscripti sunt: ut et in ipso vitæ ingressu, cum ethnicis  
” ne nomen quidem commune fideles habere velle prote-  
” stentur; et ipsi infantes etiam cum ætate processerint,  
” nominum similitudine, ad eorum, a quibus illa accepta  
” sunt, imitationem excitentur; et præterea quos imitari  
” studeant, eosdem quoque frequentius precentur, ac sperent  
” eos potissimum sibi ad salutem, tum animi, tum corporis  
” advocatos fore ”.

15. Ex Sanctorum Patrum et Catechismi Romani doctrina in ipso actu administrationis hujus Sacramenti

Parochus, vel quivis alius Sacerdos ejus virtutem et Cæremoniæ significationes, nunc unius nunc alterius saltem, ubi commode fieri poterit, diligenter explicabit (*Trid. Sess. XXIV, c. 7. Rit. Rom. De iis quæ in Sacramentor., etc.*).

46. Si organa, assentiente Parocho, pulsari velint, id dum primas recitans preces Sacerdos cum baptizando præforibus ecclesiæ moratur, non postquam ecclesiam ingressus fuerit, et iterum post Baptismi collationem tantum fiat, ne perturbari magis, quam honorificari sacrum opus videatur.

47. Statim in libro proprio ad normam Ritualis Romani, nitidioribus quidem clarisque characteribus, baptizatum describat Parochus vel Coadjutor, atque significare non omittat an a se, vel ab alio baptizatus fuerit.

48. Nati intra Urbis mœnia die præcedente Sabbatum sanctum et vigiliam Pentecostes (si periculum mortis non immineat) pro Baptismate Parochus quisque ad Cathedralē Nostram mittere curet mane utriusque Sabbati, cum scheda indicante diem nativitatis, parentum et patrini ac matrinæ nomina: in ipsa scheda Nos, vel Archipresbyter Cathedralis inscribemus notitiam baptismi collati, remittemusque Parocho, ut in proprio baptizatorum (*Ad mentem Prov. IV, Quæ pert. ad Sac. Bapt.*) libro referat, solitamque eleemosynam accipiat, excepto cereo.

49. Puerperarum benedictio ne fiat domi, etiamsi mulier ecclesiam adire non possit (*Proc. III. Quæ ad Sacram. pert.*), neque pro benedictione quidquam accipiatur, nisi fuerit omnino sponte a benedicta oblatum.

---



## CAPUT VIII.

---

### DE CONFIRMATIONIS SACRAMENTO

1. Ad novam spiritus vitam fideles jam per Baptisma geniti, in eadem per Confirmationis sacramentum roborantur, ut veri milites Christi effecti, ac spirituales athletæ nedum adversus carnem et sanguinem, sed etiam adversus tenebrarum rectores, contra spiritualia nequitiae collectari valeant.

2. De hujus igitur Sacramenti virtute et præstantia, de salutaribus ejus effectibus, ac de mysticis rituum qui in ipso adhibentur significationibus, juxta Catechismi Romani doctrinam et instructiones S. Caroli Borromæi ac Decessoris Nostri Salvatoris Andreani, verba faciant Pastores ad populum.

5. Et licet hujus Sacramenti administratio uni Episcopo commissa sit, ad reliquos veruntamen subjectos Pastores spectat ita animos suorum præparare, ut summa cum pietate et religione illud suscipiant, uberiolemque per ipsum gratiam consequantur. Eos propterea moneant Pastores non esse quidem Sacramentum absolutæ necessitatis; attamen sibi infensum et inimicum esse, qui se illo robore negligat, et cum tot agminibus pugnaturus se nudum armis et imbecillum objiciat; nec a gravi culpa liberari eum qui ob contemptum, vel oscitantem socordiam se hujus Sacramenti gratia munire prætermittit, uti cum gravissimis theologis adfirmat Benedictus XIV (*Notif. VI, vol. 4. Syn. Bonon. 1788*).

4. Quapropter pueros examine probent, solliciterque instituant ut, quamvis ante septennium admitti non debeant (*Prov. I, Quæ pert. ad Sacr. Confirm.*), nisi aliud Nobis videatur, vel nisi periculosa ægritudine detineantur, tamen statim ac eam ætatem attigerint, quantum fieri potest, ad tantam gratiam accipiendam rite præparatos exhibeant. Id enim exigit temporum perversitas, sicuti sapienter salubriterque monuit Summus Pontifex feliciter regnans Pius IX in Encyclicis Litteris diei 8 Decembris 1849 ad Archiepiscopos et Episcopos Italiae *Nostis et Nobiscum*, ut quandoquidem fides nostra multimode ab iniquis impetitur “ fideles ” omnes tempestive suscipiant sacramentum Confirmationis, per quod, summo Dei beneficio, specialis gratiæ robur confertur ad fidem catholicam in gravioribus etiam periculis constanter profitendam ”.

5. Ideo Vicarii Foranei saltem quoque triennio non omittant Nos invitare ad hoc Sacramentum in propria ecclesia ministrandum, etiam pro commoditate aliarum quæ id postulent in Vicariatu parœciarum. Item Parochi omnes occasiones Visitationis Episcopalis, aliasque nanciscantur, ut idem assequantur.

6. Ex vicinioribus parœciis ad eam in qua hoc Sacramentum ministrabimus confirmandos cum Patrinis, præcedentibus feminis, processioneis ritu cum cruce, devote graviterque pias effundendo preces, prodire cupimus. Ut vero debitus servetur ordo, Parochus ipse vel ejus Coadjutor illorum agmina ducat (*Syn. Genuen. 1838*), curetque diligentissime, ut a probis personis ubivis custodiantur pueri et puellæ, ne innocentiae et devotionis detrimentum ullum patiantur.

7. Parochus in cujus ecclesia administratur Confirmationis sacramentum curet tum per se, tum per alios

Sacerdotes aut cordatos laicos, ne quis sancta unctione donandum se exhibeat, qui primæ manuum impositioni non interfuerit (*Syn. Bonon. Card. Joannetti an. 1788, Genuen. Tadini 1838, Vastall. Zanardi 1842*); ideoque antequam sacer ritus adhibeatur, confirmandis in propriis locis dispositis, maribus seorsum a feminis, eorum schedas Parochus ipse, et Sacerdotes adjutores videant et signent, ut singulatim recognosci queant cum sacra Chrismatis inunctio deinceps a Nobis fiet, illos etiam admonentes, ne discedant a templo antequam benedictio per Nos impertita fuerit (*Pontif. Rom. de Confirm.*).

8. Nemo ad Confirmationem adducatur indecenti habitu indutus, et illotis vultu ac manibus, sed mundo quisque sit corpore, habeatque capillos ad frontem detonsos (*Proc. V, Quee pert. ad Sacr. Confirm.*); verum exquisitior nimisque ornatus, maxime in feminis sive confirmandis, sive matrinæ officio fungentibus, omnino interdicitur.

9. Parochi moneant parentes ne ad Patrini munus eligant impuberes, non confirmatos, vel rudimenta fidei non edoctos, notorios transgressores cujusvis gravis præcepti Ecclesiæ; edicant etiam excommunicatos, interdictos, et gravioribus facinoribus alligatos exclusos esse ab hoc munere.

10. Nullus Patrinus vel Matrina præsentet eodem die nisi unum aut duos confirmandos, non plures, nisi ex Nostra dispensatione (*Pontif. Rom. Ibid.*).

11. Si quis forte adultæ jam ætatis erubescat publice se in ecclesia sistere ad Confirmationem suscipiendam, private illum confirmare præsti erimus; at si ille culpabili cunctatione usque ad illud tempus confirmari distulit, doceatur sincera animi pœnitentia aliisque pietatis operibus eam desidia corrigere et compensare, ut quo tardius, non ideo parcius Spiritus S. dona percipiat (*Syn. Bon. Joann. 1788*).

12. Nullum ægrotum etiam si puerum ante septennium, ita suadente D. Thoma (*Part. 3.<sup>a</sup> quæst. 72, artic. 8 ad 4*), patiantur Parochi urbani sine Confirmationis sacramento decedere: quapropter infirmos nondum confirmatos Nobis denunciabunt; non enim ullo impedimento retardabimur, ne illos domi invisamus, eosque in eo discrimine Sacramenti hujus virtute muniamus (*Syn. Laud. VII, Cap. 7, De Conf.*).

15. Cum oleum chrysmatis consecratur, ex decreto Provincialis I (*Quæ pert. ad Baptism.*) omnino interesse debent et dignitates, et personatus, et canonicatus obtinentes, et alii Clerici Cathedralis Ecclesiæ, et quos ex aliis ecclesiis etiam diocesis Nos vocandos duxerimus; itaque præcipimus, ut juxta veterem consuetudinem hujus Laudensis Ecclesiæ, ac statutum Synodi nostræ sextæ (*Cap. 4, De Par.*), feria V in Cæna Domini conveniant Nobiscum ad Consecrationem oleorum Parochi urbani et suburbani, vel saltem de eorum mandato proprius cujusque Coadjutor; insuper præcipimus ut Vicarii Foranei oppidorum Cotonei, Malei, S. Angeli, Casalis Pusterlengorum, S. Columbani, Castionis, ac Laudæ-veteris Sacerdotem, vel Clericum in Sacris constitutum bonæ conditionis ac famæ, quem mittere debent, ut ab Ecclesia Cathedrali sacra Olea accipiat (*Syn. Laud. VII*), tempestive mittant, ut eorundem Consecrationi paratus assistat.

14. Ne Parochi laicos homines, aut Clericos sacris Ordinibus non initiatos mittant pro sacris Oleis (*P. II, T. 1, D. 9*).

15. Cum sacri Canones (*Lib. V, Decr. Tit. III, cap. 8. Non satis: et cap. 16 Ea quæ*) venditionem sacri Olei aut, Chrysmatis, quamquam solius materiæ præteritum accipiatur, districte prohibeant, ideo ne in Cathedrali, vel apud Vicarios Foraneos, quando eadem distribuuntur, quidquam exigatur vel accipiatur; sed gratis omnino tribuantur.

## CAPUT IX

---

# DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO

Nihil hoc Sacramento augustius, nil admirabilius, nil sanctius, nil denique salubrius habet christiana religio. Maxima igitur reverentia et sanctitate, maximo decore a Sacerdotibus confici, fidelibus ministrari, in ecclesiis servari, ab omnibus coli debere neminem Catholicorum latere potest.

### § 1. *De Sacramenti Eucharistiæ confectione*

1. Ne Sacerdos, cui hoc divinum ministerium panem et vinum consecrandi in corpus et sanguinem Christi demandatum est, aliquid incongruum admittat, sæpe, quæ in missali exponuntur de defectibus occurrentibus in celebratione Missæ, diligenter pervolvat.

2. Confectoriis hostiarum præcipimus, ne, quas rotunda forma cum imagine Crucifixi præparant, hostias, ad usus profanos vel medicinæ vendant; sed ad hoc alios pastillos, si tamen suppeditare libet, sine sacra imagine et alterius formæ adhibeant.

3. Cum demandatum sit a Concilio Provinciali quarto (*De iis quæ ad Miss. pert.*), ut hostiæ non per laicos, nec

feminas conficiantur, cumque Clericos ad hoc opus præstos habere non possimus; Religiosis viris ac Sanctimonialibus id muneri tribuimus, vel laicis probitate notis, quorum duo in Civitate, aliquos vero in præcipuis oppidis a Vicariis Foraneis propositos approbavimus. Ne autem hæc dispositio incassum recidat, eorum nomina in Calendario promulgabimus, ut ex iis tantum tum a Sacerdotibus, tum a Præfectis fabricæ emanantur in posterum formulæ; hoc enim modo curare poterimus, ut hæc materia ad augustissimum Sacramentum decentius aptetur.

4. Confectores eosdem, quum formulas pro Eucharistia vendunt, si veraciter non indigent diem confectionis, exercitio privabimus.

5. Consecratio fieri debet ex hostiis et particulis non ante viginti dies ad summum confectis (*Prov. IV, De iis quæ ad SS. Euchar. Sacr. pert.*).

6. Octavo quoque die renoventur particulæ et hostiæ consecratæ, non autem ad quindecim dies hæc renovatio differatur (*Prov. IV, ibid.; S. R. Congr. et S. Congregat. Ep. in Ravennat. 5 April. 1575*).

7. Cribrum e retibus confectum ad expurgandas a fragmentis particulas antequam consecrentur in unaquaque Ecclesia habeatur (*Syn. Laud. VI et VII*).

8. Vinum pro celebratione Missæ, quoad fieri potest, sit album, illudque, antequam usui detur, sit examinatum et approbatum a viro probo et experto, electo a Parocho, si ab aliis vinum suppeditatur, electo autem a Præfectis fabricæ, si vinum suppeditatur a Parocho.

9. Si vinum corrumpi vel acescere cœpit, ne adhibeatur (*Missal. Rom. Rubr. De defectib. in cel. Miss. occurr. IV*). Quod si vel unus ex Sacerdotibus vitio illud incuset, denuo examine præscripto recognoscatur.

§ 2. *De sacrificio Missæ*

1. «Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missæ  
» sacrificium omni religionis cultu ac veneratione cele-  
» bretur, quivis facile extimare poterit, qui cogitarit ma-  
» ledictum in sacris Litteris eum vocari, qui facit opus  
» Dei negligenter. Quod si necessario fatemur nullum aliud  
» opus adeo sanctum ac divinum a Christifidelibus tractari  
» posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vi-  
» vifica illa Hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in  
» altari per Sacerdotes quotidie immolatur, satis etiam  
» apparet onuem operam et diligentiam in eo ponendam  
» esse, ut quanta maxima fieri potest interioris cordis mun-  
» ditia et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis  
» specie peragatur » (*Trid. Sess. XXII, Decr. de observ.  
et evit. in celebr. Missæ*). Hæc sanctæ Ecclesiæ Catholicæ  
Romanæ, in Tridentino œcumenico et generali Concilio  
congregatæ, sanctissima monita qui sæpe attentius medi-  
tabitur, tum quæ hic decernimus necessaria ad ablegandam  
irreverentiam, quæ in celebratione tanti mysterii ab impie-  
tate vix sejuncta esse potest, ultro fatebitur, et a se jam  
pene omnia observari, Deo favente, gaudebit.

2. Nemo unquam ex usu, aut avaritia, aliave indigna  
causa, sed pio semper ac sancto fine sibi præstituto, tantum  
opus perficere aggrediatur, atque vespere præcedenti se-  
dulo examine probare seipsum incipiat.

3. «Etsi nullius sibi lethalis culpæ conscii sint, præci-  
» pimus, ut Sacerdotes, quo puriores ad divinam rem fa-  
» ciendam accedant, saltem singulis hebdomadis peccata  
» sua confiteantur; nisi eos ob mortalis peccati culpam fre-  
» quentius hoc facere oportuerit (*Pr. I, Quæ pert. ad Miss.*)».

4. Antequam celebrent non prætermittant Matutinum cum Laudibus persolvere, nec graventur longiusculum tempus in sacrario, antequam sacras vestes induant, orationi tribuere, indicto sibi ab omni prorsus confabulatione absessu: sin vero postulante necessitate loqui debeant, non nisi submissa voce loquantur.

5. Qui clericalem tonsuram non deferunt, quique talarem vestem domi antequam ad celebrandum se conferant non induunt, si celebrare audeant, suspensione a celebratione Missæ ipso facto innodamus. Ratione tamen distantiae mille saltem passuum ex domo ad ecclesiam extra urbem, toleramus ut Missam celebret Sacerdos, qui nigri coloris, decentique habitu indutus ecclesiam adit; ea tamen lege, ut vestes comunes saltem Epitogio, idest veste talari absque manicis, cooperiat in sacrario. Hinc unum saltem Epitogium decens et integrum in uniuscujusque ecclesiæ vel oratorii sacrario intra duos menses parari mandamus impensis administrationis ipsius ecclesiæ. De horum omnium implemento conscientiam quoque Parochorum et Præfectorum sacrarii oneramus.

6. Lotionem manuum in sacrario nunquam omittant celebraturi. Inibi vel propiore ædiculo Lavacrum marmoreum vel lapideum in unaquaque ecclesia, in oratoriis autem saltem æneum intus stamno delibutum, cum manutergio candido extare præcipimus cura eorum qui præsent. Si alicubi desit, intra duos menses apponatur.

7. Omnia quæ Sacrificio inserviunt nedum integra et nitida, sed et elegantia esse curent summopere ii qui ecclesiis præsent. Velum calicis sericum esse debet (*Miss. Rom. tit. de præpar. Sacerd. celebr. n. 1.º*). Amictus, Albæ, Tobaleæ, Mappulæ, nec non Corporalia, Pallæ ac Purificatoria ne fiant ex gossipio, sed ex lino vel canabe; talia autem



noviter confecta sacra benedictione donari districte prohibemus; quæ vero jam extant, interdicta declaramus ad normam Decreti Pii VII diei 15 Maji anni 1819. Urceola, quæ nonnisi ex vitro perlucido, aut e crystallo esse debent, (*Proc. IV, Quæ pert. ad SS. Missæ Sacrif.*) crebro et diligenter mundentur: item crebrius sacra vasa. Ne patiantur Sacerdotes ab ædituis laicis tangi sacra vasa vel linteamina, quæ contactum corporis et sanguinis Christi habuerint.

8. Ubi desunt Clerici, seligantur a Parocho bene morati adolescentes, qui habitu corporisque cultu decentes sint, atque, ipsius Parochi solertia, per Presbyteros instruantur tum de recitandis, tum de agendis, ut rite ac devote inserviant Missæ ceterisque sacris officiis: Isti autem ecclesiasticis functionibus nunquam intersint, nisi veste talari nigri vel cærulei coloris et superpelliceo induti. Celebrantes vero caveant ne ex propria festinatione, ministri verba mutilare, sincopare, vel anticipare cogantur; quod profecto esset non exorare Deum, sed irridere (*Synod. Vastall. 1823*). Æditui pariter in quavis ecclesiastica functione talarem vestem deferant.

9. Nullus Sacerdos annulo in Missæ celebratione utatur, nisi Apostolico sit indultu munitus (*Constit. Pii Papæ VII, Cum innumeri*). Nullus in Missis privatis permittat ministro aperire missale et invenire Missam; nec eidem ministro, etsi Sacerdos vel Diaconus sive Subdiaconus fuerit, permittat ut præparet calicem (*S. R. C. 7 Sept. 1816 in Tuden.*). Nullus item ante se calicem deferri aut in ara parari sinat, sed ipse Sacerdos vel Canonicus celebraturus ad præscriptum Rubricæ eum deferat (*S. R. Congr. 4 Junii 1817 ad dub. 6*).

10. Dum Horæ Canonice recitantur in choro, non sunt ad altare majus Missæ celebrandæ.

11. In Missis cautu etiam celebratis in Vigiliis vel Feriis, atque in officiis omnibus quæ in Adventu et Quadragesima fiunt de tempore, exceptis Dominicis *Gaudete* et *Lætare*, nec non Missa in Cæna Domini et Sabbati Sancti, ad præscriptum Missalis Romani sileant omnino organa.

12. Cum soli Episcopo jus competat præscribendi in propria diœcesi *Collectas* in Missa pro quavis necessitate recitandas, hinc nemo id proprio Marte facere præsumat. Rationabilibus autem ex causis facultatem eas præscribendi concedimus Vicariis Foraneis in parœciis suorum vicariatuum: in civitate autem et suburbiis, Nobis et Vicario Nostro Generali hanc facultatem reservamus.

13. Ubiqumque ex voto populi celebratur Missa sollemnis pro gratiarum actione, aut in honorem alicujus Sancti, qui recensetur in Martyrologio Romano, vel cujus officium nostræ Diœcesi sit ab Apostolica Sede concessum; oratio de his recitari permittimus in dicta Missa, quando ritus non obstat.

14. Intra Missam ne porrigatur effigies divini Infantis cuiquam osculanda.

15. In Missa cantu celebrata Symbolum Nicænum non alternetur cum organo, sed integrum cantetur.

17. Si colligenda est elemosyna a fidelibus tempore Missæ, id statim fiat ad Offertorium, et absque strepitu, secus omittatur.

16. A Sacerdote, missalibus indumentis parato, ante Missam non fiat Communio sine magna necessitate (*S. C. Visit. Apost. sub Urb. VIII, tit. 1, c. 4; Merati pars. 2, tit. 10, n. 29*), intra Missam semper fiat petentibus, ad regulam loquendo (*Bened. XIV in suo Brevi Certiores effecti 15 Nov. 1742*): si autem fiat quandoque post Missam, non deponatur planeta nec manipulus. (*Urb. VIII ut supra*).

18. Corporale nequit relinqui extensum super altare sive pro Missis omnibus celebrandis, sive pro Eucharistia diversis vicibus ministranda: neque supra unum extensum alterum extendi debet.

19. Rite, graviter ac devote omnia peragant in Missa Sacerdotes: cum ad sacrarium redeunt sacras vestes non abjiciant, sed deponant: non pigeat eos, Mariam sororem Lazari imitantes, congruo temporis spatio secus pedes divini Hospitis peramanter commorari ad unicum salutis negotium agendum.

20. Si qui sint Sacerdotes qui absque veste talari, cave sordida aut lacera ad celebrandum accedant; qui nullum aut nimis breve spatium sive ante, sive post Missam orationi tribuant; qui nimis festinanter Sacrum faciant, ita ut vix quadrantem attingant, vel parum excedant; qui ea, quæ secreto dicenda sint, elata promant voce, aut e converso; qui demum oris aut corporis contorsione nimiaque prolixitate admirationem et fastidium adstantibus pariant, eos primum humaniter leniterque moneant ecclesiarum Rectores et sacrariorum Præfecti; inobsequentes vero Nobis quantocius denuntient, ut opportuna remedia adhibeamus. Qui vero infra quadrantem horæ Missam absolvunt, eos suspensionis pœna a Missa celebranda innodabimus.

21. Ne autem circa hæc omnia inscientiam ad excusationem causentur Parochi et sacrariorum Præfecti, eis præcipimus ut Sacerdotes, qui recentem in eorum parœcia degere cœperunt intra mensem, ceterosque ibi plerumque celebrantes identidem vel per se, vel per alios Sacerdotes inspiciant in actu celebrationis, ut non ultimi sciant, quæ forte in eis corrigenda sunt.

22. In ecclesiis ubi plures Missæ celebrari solent is ordo servetur, ut pro populi commoditate, præsertim diebus

festis, prima diluculo, reliquis deinceps debito intervallo distributis, postrema, quo tardius expediat, celebretur (*Prov. I et IV, Quæ pert. ad celebr. Missæ*) ad præscriptum tabellæ a Rectore parochialis ecclesiæ, vel ab alio confiendæ cui Episcopus id munus dederit (*Prov. IV, Quæ pert. ad SS. Missæ sacrif.*). Diebus vero ferialibus, ad sensum Conciliorum Prov. et Syn. nostræ VII in omnibus parœciis, ubi plures celebrantur Missæ, id saltem servetur, ut prima Missa in aurora celebretur semper una hora antequam, juxta usum regionis, opera in opificinis vel in agris incipiantur. Sed ne qui Sacerdotes inæquius graventur, in unaquaque hebdomada, vice per ordinem mutata, ad statis horis celebrandum se succedant. Omnibus vero diebus in quibus Prædicatio verbi Dei obeunda erit, sive Litiariæ et Processiones Rogationum, tam majorum, quam minorum agendæ, sive Oratio 40 horarum habenda, sive tandem in Feriis VI cujusque hebdomadæ Quadragesimæ et Adventus, Presbyteri, aliquo etsi tenuissimo ab ecclesia stipendio fruente, Missam celebrare hora per Parochum designanda non recusent (*Syn. Berg. Priol. I, tit. 2, p. 3*).

25. Pro audientium captu suis fidelibus interdum proponere debent Parochi et explanare mysticas cæremoniariarum significationes, quæ in Missa adhibentur: quomodo per Sacrificium divinam majestatem colere, Deum propitium nobis reddere, opemque impetrare, et pro collatis in nos beneficiis gratias referre possumus et debemus: qua ratione defuncti, quibus aliquid luendum superest, per Sacrificium juvantur, veniam et indulgentiam consequuntur: quo animi sensu ac pietate, quo corporis cultu Missæ sacrificio fideles adesse oporteat, quod ipsi una cum Sacerdote Deo offerunt, ea ratione quæ ipsos decere potest, et cui fidelis quisque, quum primum rationis usum adeptus est, assistere diebus festis tenetur.

### § 3. De ministranda fidelibus SS. Eucharistia

1. Animarum Pastores enixe in primis hortamur, ut populum suum, edoceant admirabilem hujus Sacramenti virtutem et dignitatem; quando, quo loco, et quomodo urgeat paschale præceptum; ingentes fructus, qui ex sancta et frequenti Communione percipiuntur; animi corporisque præparationem ad eos consequendos afferendam, ut intelligat quanto honore et cultu cœleste hoc Sacramentum dignum sit; et christianæ caritatis desiderio in ejusdem susceptione exardescere debeat.

2. Caveant Pastores, ne ad sacram Mensam accedere sinant eos omnes, quibus infamiæ labes e peccato inhæret, manifestis enim peccatoribus non debet sacra Communio dari (*D. Thom. 3, q. 80, art. 6*). Quis vero sit manifestus peccator cui, etiam publice petenti, SS. Communio per Parochos est deneganda, hortamur ipsos discere a Benedicto XIV (*De Synod. Diœces. L. VII, c. XI, n. 8*).

3. Caveant tamen, ne cuiquam Communio denegetur nisi in casibus a Rituali Romano expressis.

4. Parochus hortetur fideles ad frequentissimum hujus Sacramenti usum, saltem in Dominicis Adventus et Quadragesimæ (*S. Carolus Syn. Diœc. 11.*); juvenes autem in sex Dominicis ante festum S. Aloysii Gonzagæ, vel aliis sex Dominicis continuis per annum in honorem ejusdem Sancti, propositis indulgentiis a Summis Pontificibus concessis (1).

5. Ministretur vero Clericis ad altare, populo autem in loco remotiori (*Prov. IV, Quæ ad SS. Euch. sacram. pert.*); maribus seorsim a feminis ubi fieri potest (*Prov. V, eod. tit.*).

(1) Vid. Append. IV.

6. Cum Eucharistia ministranda est extra Missam, ablutio manuum in sacrario præmitti debet.

7. Pro Communionem ministranda in ecclesia extra Missam adhibenda est stola coloris Officio illius diei convenientis (*Rit. Rom. Ordo ministr. sacr. Com. et S. R. C. 12, Martii 1836*), albi autem coloris cum Eucharistia ad infirmos defertur (*Rit. Rom. de Comm. infirm.*).

8. Cum etiam Canonicis Cathedralis mandatum sit in administratione Sacramentorum tam intra, quam extra eandem Cathedralem deponere cappam, atque uti superpelliceo et stola (*S. R. C. de mandato Pii VII, 31 Maji 1817*), ita et Parochi in eo casu usum suorum insignium sibi vetitum esse sciant.

9. Quod extendi debet linteum coram communicantibus (*Rit. Rom. ib.*), curent Parochi esse mundissimum et ornatum, neque aliud quidpiam præter istud linteolum communicantium ori supponatur (*Syn. Novar. 1826, c. 4, p. 2*). Nemini tradantur latioris formæ aut plures numero particulæ, neque a Sacerdote pars hostiæ suæ decerpatur in gratiam laicorum, nisi forte communicandus sit infirmus in mortis periculo (*Ibid*): neque aliis in casibus frangantur hostiæ magnæ pro Communionem populi, nisi ob urgentem necessitatem (*Syn. Laud. II, IV et VII*).

10. Graviter ægrotantibus, præmissa sacramentali Confessione, sollicite Eucharistiam per seipsun, aut saltem per Sacerdotem Confessarium administret Parochus. Parochi, Innocentii III ac Pii V Constitutionibus perspectis, Medicos peramanter admoneant atque obtestentur, ne muneri suo deficient, et ut ægrotos, sicuti par est, solertia lege Canonica atque civili præscripta, ad Ecclesiæ Sacramenta suscipienda inducant (*Pr. IV, Quæ ad SS. Euchar. sacr. pert.*).

11. Infirmis omnibus, iis maxime qui gravi morbo detenti sæpius Eucharistico cibo nutriri cupiunt, etsi jam fuerint Extrema Unctione muniti, sæpius illum deferre ne renuant Parochi. Hos quoque serio adhortamur et monemus, ne patiantur pueros omnes indiscriminatim interire sine Christi corporis Viatico; imo curent, diligenti præmisso examine, iis præberi, quos tanta pollere ingenii perspicacia compererint, ut latentem sub speciebus sacramentalibus Christum et firmiter credant, et reverenter adorent (*Bened. XIV, D. Syn. Diœc. I. 7, c. 12*).

12. Decet autem omnino viros Ecclesiasticos, dum infirmantur, et ardentius petere, et frequentius sumere SS. Eucharistiæ sacramentum.

13. Curet Parochus, cum deferenda est Eucharistia ad infirmum, hortari populum, ut unusquisque paterfamilias, aut, eo impedito, saltem filius natu major conveniat ad ecclesiam, dato æris campani signo, ad comitandam ipsam SS. Eucharistiam, gestans ceream candelam (*Prov. VI, Quæ ad SS. Euchar.*)

14. In Parœciis omnibus detur signum pridie vesperi Communionis generalis infirmorum, quæ in singulo anni mense deferri solet, ut populus de hoc admoneatur. Signum repetatur sequenti mane paullo ante quam deferatur (*Prov. V, Quæ ad SS. Euch. Sacr. pert.*). Districtissime autem vetamus, ne SS. Eucharistia ad quemlibet ægrotum deferatur absque solemnitatibus et cæremoniis a Rituali Rom. aliisque Ecclesiasticis constitutionibus præscriptis. Quod si alicubi abusus in contrarium irrepserint, Parochorum conscientiam oneramus, ut illos eradicent omnino; si autem per se id consequi non possunt, in virtute sanctæ obedientiæ rem omnem et ejusdem auctores et cooperatores quoscumque intra duos menses Nobis denuntient,

ut auctoritate Nostra, et ecclesiasticis pœnis, si opus fuerit, certissimum malo remedium adhibeamus.

15. Sodalitates sanctissimi Sacramenti, ubi extant, favore a Parochis prosequantur; ubi vero desunt, quantocius Parochorum cura instituantur (*Prov. I, Quæ pert. ad sacr. SS. Euch.*). Ipsius autem Sodalitatis fratres, quoties sanctissima Eucharistia ægrotis erit deferenda, habitu Sodalitatis induti interveniant, et luminaria Sodalitatis deferant, vel pro casu, Parochi jussu, aliis officiis fungantur.

16. Lignea ædicula, seu tabernaculum gestatorium intus deauratum vel albo panno serico, et apto ac mundissimo corporali instructum haberi in unaquaque ecclesia parochiali præcipimus, illudque deferendum esse volumus in cubiculum cujusvis ægrotantis, ut in eo deponatur SS. Eucharistia, cum administrari oportet.

17. Pro casibus in quibus ad deferendam ægrotis Eucharistiam incedendum erit per vias difficiles, habeatur bursa ornatissima cum cordulis sericis ad recondendam parvam pixidem, ut de collo dependeat.

18. De pueris ad Christi Domini mensam adducendis magnopere solliciti sint Parochi. Perquirant in primis a parentibus de eorum pietate, ingenio et usu rationis (*Prov. VII De S. Euch.*); et quos in catechesibus, quibus tum singulis diebus festis, tum maxime per Quadragesimam exerceri debent, christianæ fidei et sacræ Eucharistiæ mysteriis satis imbutos noverint, sacræ Communionis participes efficiant in Paschate, tametsi forte ætas nimium immatura videatur (nam parvulos ad se peramanter vocat Dominus et singulari affectu complectitur), ut quasi novellæ olivarum in circuitu mensæ Domini adolescant, crescentes in scientia Dei, et in omni opere bono fructificantes.



19. Die itaque, quam Parochi opportuniorem censuerint, colligant eos omnes in unum, et ad sacrorum Mysteriorum participationem solemnem, quantum fieri potest, et splendido apparatu admittant. Ecclesiastici autem omnes Parochis opem ferant in hac functione.

20. Nulli Confessario, etiam Regulari, licet prima vice ad Communionem admittere adolescentes, inconsulto proprio eorundem Parocho.

21. Dominica IV Quadragesimæ et Dominica Passionis denunciatur fidelibus sanctissimum Ecclesiæ præceptum Eucharistiam quotannis sumendæ in Paschate in sua cujusque parœcia, nempe a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis.

22. Parochus per se, quantum fieri potest, Communionem in Paschate populo administret, et schedulas per ministrum probatæ fidei distribuat communicantibus, quas subinde ostiatim colligat, ubi consuetudo viget; ubi autem non viget, restitui quidem cupimus, sed prudenti arbitrio Parochorum id remittimus.

23. Feria V in Cæna Domini omnes tam Sacerdotes, quam Clerici Eucharistiam sumant de manu Sacerdotis solemniter celebrantis, nullusque Sacerdos, præter Parochum, vel præter illum unum qui a Parocho deputatus fuerit, vel a jure aut ex privilegio, celebrare Missam præsumat sub pœna suspensionis. Feria autem VI Parasceves vetitum esto SS. Eucharistiam dispensare, præterquam ægrotis. Nemini autem in ecclesia administrandam esse nocte Natalis Domini decernimus (*S. Congr. Rit. 7 Septembris 1644, 9 Augusti 1653, 20 Aprilis 1664*). In Sabato autem Majoris Hebdomadæ nemini ante Missam SS. Eucharistiam administrare liceat (*S. C. Rit. 22 Martii 1806 in Tiphernen.*).

24. Canonicis sanctionibus inhærentes (*Bened. XIV de Syn. Diœc., l. 9, c. 16, n. 3, etc.*) Regularibus vetitum esse volumus sancto Paschatis die sæcularibus, qui eorum familiæ addicti non sunt, Eucharistiam administrare, etiamsi hi sæculares alia die præcepto satisfecissent in propria parœcia; iis exceptis quibus per Synodum Tridentinam (*Sess. XXV, cap. 11, De Reform.*) id ex privilegio concessum fuit.

25. Si quis, decurrente Paschali quindena, a sua parœcia abfuerit, quum primum ad eam revertetur proprio Parocho Communionis susceptæ afferat documentum, secus intra quindecim dies Sacramentum in ipsa sumere non differat. Hoc statutum Parochi publicent populo Dominica secunda post Pascha.

26. Si qui reperti fuerint præcepto Communionis Paschalis inobsequentes, eos semel et iterum conveniat Parochus, benigne alloquatur, causas exquirat, prætextus dissolvat, oret, præcetur et se paratum exhibeat ad curanda animæ ipsius vulnera, ut errantem denique ovem in sinum veluti recipiens ad vitæ pascua tandem aliquando perducatur.

27. Contumaces vero publice, suppresso tamen nomine, ter moneat atque interpellat, nempe diebus Dominicis 2<sup>a</sup>, 3<sup>a</sup> et 4<sup>a</sup> post Pascha; et interminet Ecclesiasticas pœnas sancitas per canonem *Omnes utriusque*. Si adhuc in sua contumacia persistent, nullo modo differat ultra diem Ascensionis eorum nomina Nobis denunciare (*Pr. VII, De SS. Euch.*)

**§ 4. De asservatione SS. Eucharistie**

1. In singulis ecclesiis parœcialibus aliisque, in quibus SS. Eucharistia asservari solet, aut debet, in unico altari, eoque majori collocetur; excepta Cathedrali (*Prov. I, De iis que pert. ad sacram. SS. Euchar.*).

2. Tabernaculum autem firmiter adhæreat aræ: sit affabre et splendide, quantum fieri potest, extractum, panno serico albi coloris intus ornatum (*Visit. Apost. Quæ ad SS. Euchar. sacram. pert. tit. Tabernaculum*), mundoque semper corporali stratum, quod sæpe mutetur; foris autem conopæo coopertum itidem serico, coloris in dies a Rubricis præscripti (*Prov. IV, Quæ ad SS. Euch. sacr. pert.*).

3. Clavis ejusdem non ex ferro, sed ex argento sit; si vero ex ære, deaurata sit, ab eaque pendeat cordula serica decens; illamque cautissime custodiri præcipimus a Parocho, vel ab ecclesiæ Rectore, vel a sacrarii Præfecto, numquam vero laico homini committi permittimus, vel in altari, noctu potissimum, relinqui (*Prov. Ibid.*).

4. Majorem lampadarum numerum, quam eorum quæ ante SS. Sacramentum ardent, in aliis aris sive solemnitatis, sive devotionis gratia ardere prohibemus (*Syn. Viglev. 1823*).

5. Tabernaculum gestatorium, sive Ostensorium, si non ex argento sit vel auro, debet esse perfecte deargentatum vel deauratum exterius, interius autem lamina deaurata circumvestitum, quæ nulla etsi parva rima vitietur, cum lunula pariter deaurata. Quæ in aliquo deficiunt et intra tres menses non fuerint restaurata, adhiberi vetamus.

6. In unaquaque ecclesia parochiali et etiam in ecclesiis, sive oratoriis publicis Nosocomiorum duæ saltem pyxides habeantur, quarum cuppa semper intus auro, extra simul cum basi saltem argento illita omnino existat. Harum una grandior servandis consecratis particulis, altera minor deferendæ infirmis Eucharistiæ inserviat. Quævis pyxis prætiosiori semper, vel saltem serico albo velo cooperta sit.

7. Velarium extensum maneat in majori ecclesiarum janua, dum tempore æstivo patet ante altare, in quo servatur augustissimum Sacramentum.

§ 3. *De expositione et adoratione SS. Eucharistiæ*

1. Fidelium adorationi SS. Eucharistia publice exponi vetamus in ipsis quoque Regularium ecclesiis, nisi in sequentibus casibus: 1<sup>o</sup> in ecclesiis in quibus 40 horarum Adoratio antehac fieri solet: 2<sup>o</sup> in Parochialibus vel Regularium ecclesiis in solemnitate SS. Corporis Christi, et per ejus octavam, etsi ad brevius temporis spatium tantum fiat: 3<sup>o</sup> item in parochialibus vel Regularium ecclesiis, etsi per aliquot tantum horas exponatur tribus vel aliquo ex tribus diebus, quæ immediate præcedunt Feriam IV Cinerum: 4<sup>o</sup> demum quoties publica causa intercedat, quæ a Nobis probetur.

2. Extra altare majus Expositio, etsi ad aliquot horas tantum, fieri omnino vetamus.

3. Tempore Expositionis duodecim saltem candelæ convenientis dimensionis super altare (S. C. C. *instit. Eccles.* 30, § 25), et duæ saltem super tabernaculum augustissimo Sacramento propiores continuo ardere debent. In prima tamen et ultima hora Expositionis major cereorum numerus adhibeatur. Toto Expositionis tempore, ne a plateis et compitis SS. Sacramentum conspiciatur, densa velaria ecclesiæ foribus prætendantur (*Syn. Novar.* 1826, P. II, c. 4).

4. Initio Expositionis quadraginta horarum Litanie Sanctorum cum præcibus et stans collectis ante sanctissimum Sacramentum a Clero, populo respondente, cantentur (*Prov. IV, Quæ ad SS. Euch. pert.*). In hac autem functione cupimus servari Instructionem quam Clem. XI edidit pro alma Urbe.

5. Tempore Expositionis, quæ fit non supra mensam altaris, sed super thronum, Reliquiæ et Imagines Sanctorum expositæ in altari non sint.

6. Eo temporis duo Sacerdotes vel Clerici cotta induti intra presbyterium, vel saltem duo Confratres SS. Sacramenti, sodalitatis habitu induti et genuflexi prope, sed extra illud, per vices assistant.

7. Curent animarum Rectores, ut quoad exposita manet SS. Eucharistia, habeantur sermones de immensa in nos Christi Domini caritate atque clementia, ut populus christianus majori quo fieri potest studio atque pietate discat præsentem Dominum revereri. Sed caveant Concionatores, ne prædicent capite tecto, etsi SS. Sacramentum sit velo obductum (*S. R. C. 23 Sept. 1837*).

8. Ex privata causa, veluti pro infirmo, liceat orationes supplicationesque habere ad SS. Sacramentum hac lege, ut accensis saltem sex cereis, aperto tabernaculo, illud in sacra pixide clausa ac velata in ostiolo adorandum constituatur; si vero pixis extrahatur, saltem duodecim accendantur candelæ. Tabernaculum ea ratione aperire permittimus si nimbi, turbines, grandines ingruant, aut incendium excitatum minaciter extendatur.

9. Singulis Dominicis et anni Festis in qualibet ecclesia parochiali post ceteras functiones, SS. Sacramentum exponi et cum eo Benedictio ex majori ara populo impertiri poterit; quemadmodum et in solemnum Festivitatum novendio, et quoties alicubi permissa est Expositio. Sed non plus quam semel in die Benedictio in eadem ecclesia impertiatur, exceptis tamen diebus Dominicis, quibus semel in mense ante meridiem publica SS. Sacramenti supplicatio vel solemnitas cum eo Processio habetur.

10. In solo altari majore impertiatur Benedictio cum augustissimo Eucharistiæ sacramento (in Cathedrali vero etiam in altari pro parochialibus functionibus designato) nisi ex Legato vel alia rationabili causa per Nos vel Vicarium Nostrum probanda secus fieri impetretur.

11. Cantiones vulgari sermone non convenit cantare, nisi in repositione SS. Sacramenti (*S. R. C. 21 Mart. 1609 in Abulen., et 5 Aug. 1859 in Bobien.*).

12. Feria V Majoris Hehdomadæ maxima adhibeatur erga augustissimum Sacramentum religio. A majore altari ad alterum dedita opera ad id præparatum, ac splendide et, quantum cujusque est facultatis, magnifice ornatum, deferatur; ubique quamplura colliceant lumina. Ne tamen permittant ecclesiarum Rectores, ut ullum prorsus in eo conspiciatur Dominicæ Passionis symbolum seu signum (*Syn. Vastal. 1842*). Hac autem die SS. Eucharistia custodiri debet sub una tantum clave, servanda apud Parochum vel Sacerdotem illum, qui sequenti Feria VI celebrabit in præconsecratis (*S. C. R. 22 Novembris 1651, et 15 Septembris 1642*).

13. In tota civitate in posterum unica instituatur Processio in Solemnitate SS. Corporis Christi in Cathedrali cum interventu Cleri urbani et suburbani ac Sodalitatum tum SS. Sacramenti, tum Doctrinæ Cristianæ (exclusis feminis quibuscumque) singularum parœciarum, uti fert consuetudo. Inhibemus autem ne aliæ aliis diebus cum SS. Sacramento unquam fiant in Urbe et Suburbiis.

14. In quavis parœcia, cujus Pastor Vicarii Foranci munere fungitur, atque in alia tantum cujusque Vicariatibus, in qua consuetudo antiquius viget, ipsa Feria V in Festo Corporis Christi instituatur Processio SS. Sacramenti: in ceteris autem parœciis hæc Processio non fiat extra Dominicam infra octavam ejusdem Solemnitatis, nisi ex speciali Nostra concessione. Eadem recurrente Solemnitate in præcipuis oppidis diœcesis, ultra dictam Processionem in die Corporis Christi, non aliam permittimus extra ecclesiam duci, nisi ultimo die octavæ. Parochi vero hortentur

fideles, ut fidei ac amoris erga Jesum Christum specimen exhibeant decore apparatu, devotissima modestia, ac sancto præsertim ad Communionem accessu.

15. Præter Processiones quæ fieri debent in parœciis extra Urbem, Dominica cujusque mensis die singulis præstituta (ea excepta vice, qua talis Dominica recurrit immediate post feriam V in Cæna Domini, et immediate post Festum SS. Corporis Christi; tunc enim omittenda est menstrualis Processio), nullæ aliæ cum SS. Sacramento, nisi Nobis permittentibus, instituantur.

16. In ipsis prophana omnia arceantur, neque admittantur personati pueri aut puellæ, quasi Sanctos vel Angelos referentes. Clerici et Sacerdotes qui intersunt, talari veste et superpelliceo sint induti, aut pro usu etiam dalmaticis, vel planetis, aut pivialibus (*S. R. C. 26 Nov. 1778 in Matheranen. ad 9, 2720*).

17. Concionatores et Parochi vehementer hortentur fideles adire quotidie sero domum Dei ad adorandum Jesum in Sacramento augustissimo pro Nobis absconditum. Laudibus autem valde digni erunt Parochi, quorum studio fideles contendunt duas candelas in ultima cujusque diei hora accendendas in altari SS. Sacramenti suppeditare, ut tum isti, tum ceteri ad illam divinæ adorationis consuetudinem vehementius excitentur.

---

## CAPUT X

---

### DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ

1. Ne Pœnitentiæ sacramenti, quod lapsis post Baptismum ad salutem necessarium est, ut nondum regeneratis ipse Baptismus (*Trid. Sess. XIV. c. 2.*) salutaribus effectibus priventur fideles, neve quod ab immensa Dei clementia datum est ad salutem, in exitium vertatur vel suscipientium, vel ministrantium culpa, utrisque summopere curandum est ne in ullis ejusdem adjunctis deficiant.

2. Sedulam itaque operam præsent in primis animarum Rectores, ceterique Dei Ministri, ut Christi fideles, si in peccatum miserrime labantur, denuo erigantur in salutem per veram pœnitentiam: cujus naturam, causas, dispositiones et effectus plane exponent, ne cui unquam pœnitentiæ specie decipi contingat, neve peccator permaneat in via iniquitatis ob falsam pœnitentiam, cum in via salutis se gressus ponere autumat.

3. Curent itaque Pastores et Concionatores, ut fideles mature discant quam enixe debeant veræ pœnitentiæ gratiam a Deo, qui convertit corda hominum, implorare, quamque fideliter eidem gratiæ cooperari oporteat, ut veram pœnitentiam assequantur. Quandoquidem autem experientia constat, duritiem cordis in peccatoribus sæpe facilius emolliri per timorem judiciorum Dei, quam per amoris incitamenta; ideo non omittant Parochi et Concionatores



nedum timoris illius utilitatem, juxta Tridentini et Summorum Pontificum definitiones docere, sed pios etiam affectus, qui facile ex terribilium Novissimorum meditatione eruuntur, proponere, ut hoc timore vel in ipsa carne confixi ex imo corde utiliter concutiantur peccatores, et a peccato avertantur. Insuper docebunt quæ ipsis peccatoribus considerata sint tum ad spem erigendam, tum ad amorem Dei in se excitandum, ut ad perfectam pœnitentiam pervenire contendant.

4. Præterea Curatores animarum hortentur crebris sermonibus fideles, ut non paschali tempore tantum, sed frequentissime per annum, præcipue vero solemnioribus festis ad sacramentum Pœnitentiæ accedant. » Imo eam « consuetudinem inducere studebit Parochus, ut populus, » si minus Dominico quoque die, saltem semel in singulis » mensibus confiteatur et S. Communionem sumat; at in « Quadragesima et Adventu, ut singulis diebus Dominicis » id faciat » (*S. Car. Syn. Diœc. XI*). In illud autem multum insistat, ut qui se mortali crimine gravatos sentiunt, quamprimum perfectæ contritionis actum eliciant, deinde non diu Confessionem protrahant cum maximo salutis suæ discrimine: exagitetque vehementer perditos illos, qui nec semel in anno conscientiam suam a peccati veneno purgare satagunt.

5. Sed et contra modernos incredulos aliquando Concionatores et Parochi in illis locis, in quibus extare sciunt, hujus Sacramenti divinam institutionem et necessitatem validis argumentis propugnent, et utilitates plurimas ex eo manantes affabre exponant.

6. Tum ut a primis annis ad optimas pietatis actiones assuescant pueri, tum ne aliis diebus adultis confitentibus et Confessariis ipsis inopportunam molestiam inferant,

singulis mensibus, certa die constituta, pueros, qui novem annos attigerint, ad ecclesiam evocent Parochi, et singillatim ad rectam confitendi rationem instruant, et saltem maturiores in Confessione audiant (*S. Car. Syn. Dœces. XI, Monit. execut. quæ ad Sacr. pert.*).

7. Sacerdos ad audiendas Confessiones vocatus promptum facilemque se præbeat omni die et hora, cum non raro contingat quod pœnitentes jam satis multa obstacula vicerint, ut se Confessario sisterent, quin novum Confessarius ipse sua morositate et repugnantia impedimentum afferat, ex quo immensa forsitan spiritualia damna, et ipsa æterna perditio pœnitentium, qui repulsi fuerint, consequi possunt. Itaque Confessarius nunquam ægre se pœnitentes audire gestibus aut verbis ostendat, nec unquam coram aliis conqueratur et exaggeret difficultates hujus ministerii, aut pœnitentium importunitates; sed consideret nihil melius ad tam salutare ac necessarium animæ remedium peccatores allicere, quam comitas et alacritas Confessarii, qui consolationem atque delectationem spiritualem sibi obvenire ostendit ex labore pro pœnitentibus suscepto. Si vero in frequentioribus paræciis dies et horas diversis personarum classibus assignare expediat, hoc ita fiat, ut non jam proprio, sed potius pœnitentium commodo Confessarius consulere videatur.

8. Quapropter mane semper in aurora, quibus maxime diebus frequentiores solent adventare pœnitentes; in vesperis etiam, præsertim pridie diei Dominici et festi, Parochi et Coadjutores præsti sint ad Pœnitentiæ tribunal.

9. Nolumus ut noctu mulierum Confessiones in ecclesia excipiantur (*Rit. Rom.*). Si tamen aliquoties, veluti occurrente spiritualium Exercitiorum aut Missionis alicujus tempore, id fieri oporteat, Parocho facultatem facimus id

permittendi, accenso tamen lumine coram confessionali, nec una vel altera tantummodo præsente.

10. Extra sedes confessionales, in ecclesia locis patentibus pro feminis, et in sacrario vel locis adnexis pro maribus apte dispositas, de more nullus Sacerdos sacramentum Pœnitentiæ administret. Si ægrotantis feminae Confessio domi sit excipienda, pateat ostium cubiculi, ut videri possit Sacerdos, non autem audiri ab aliis (*Rit. Rom.*).

11. Non licet in oratoriis etsi publicis exedras retinere ad Confessiones excipiendas (*S. C. Conc. 27 Junii 1744*) absque Nostra licentia (*S. R. C. 9 Martii 1744*).

12. In parochialibus ecclesiis, quarum animarum numerus milliarium excedit, non minus quam tria confessionalia pro maribus habeantur, nec minus pro feminis: in frequentioribus autem numerus eorum augeatur.

13. In iis Tabella Casuum Reservatorum et imago aliqua D. N. J. C., vel Mariæ Virginis interius, imago autem Crucifixi coram pœnitente ponatur. Omnia vero in ipsis sint integra et decentia: sordes detergantur, fixuræ obturentur, corrosiones reparentur. Si cubicula sint aptata pro marium Confessionibus, ne sint repositoria supellectilis; eorum parietes calce liniantur colore decenti illita, nec unquam sordescere patiantur; solum luridum non sit aut corrosum; sedes autem compta cum scabello ligneo pro Confessario, nisi pavementum sit ex asseribus; scabellum item in quo genua flectit pœnitens integrum sit ac nitidum: non aliud quid absonum eo loci tolleretur. Si quid circa hæc omnia reficiendum sit, intra duos menses perficiatur.

14. Sedentes pro tribunali in ecclesia, vel sacrario, vel cubiculis adnexis sacramentales fidelium Confessiones excepturi, talari veste cum bireto induti sint: superpelliceum præterea et stolam violacei coloris singulis vicibus, sed

præcipue diebus Dominicis aliisque festis, omnes omnino Confessarios adhibere jubemus (1). Antea vero, quod fieri ab omnibus vehementer optamus, ad altare tantisper orent, et divinam opem sibi et pœnitentibus flagitent, iis maxime precibus, quas juxta antiquam Ecclesiæ consuetudinem recitandas Confessariis proposuit S. Carolus, et Nos in Appendice (2) ad hanc Syn. dabimus, ut in tabella in quovis sacrario pro commoditate Confessariorum apponantur. Ceterum in ipso actu ministerii Deum enixe raptimque pro se et pœnitente identidem precari non omittat Confessarius, ut semper ab illius auxilio et voluntate pendeat.

15. Considerent Confessarii accepti ministerii sanctitatem, ac secum reputent, quanta fervere oporteat caritate, quanta vitæ innocentia et morum castimonia eminere quos elegit Deus, ut peccatores a perditionis via ad salutis tramitem reducant, et justos vehementiori christianæ virtutis studio incendant. Caveant quammaxime, ne mortifero peccato inquinati, vel censura ecclesiastica, aut alio canonico impedimento irretiti ad sacrum ministerium accedant, sibi que mortem consciscant, dum volunt aliorum morbis mederi. Quo autem sancte, ut decet, vitam instituant, in oratione et rerum æternarum meditatione assidui sint, libros magistrorum spiritualis vitæ sæpe consulant, et singulis ferme annis per aliquot dies spiritualibus Exercitiis vacent.

16. Constitutiones Pontificias tum contra sollicitantes (*Gregor. XV Universi, Bened. XIV Sacramentum Pœnitentiæ, et Apostolici muneris*); tum contra absolventes

(1) Regulares vero omnes habitum induant quam in choro ad divina officia ex regulæ præscripto adhibere debent, cui stolam superponant (*Decretæ gener. Visit. Apost. Civ. et Diœc. Laud. 1854.*)

(2) Vid. Append. IV.

complicem in peccato turpi (*Bened. item Sacramentum et Apostolici*); tum denique contra exquirentes nomen complicum (*Bened. XIV Ubi primum, et Ad eradicandum*) perspectas habeant Confessarii, atque expositores earundem consulant. In doctrina morum assidue versentur, probatissimos auctores, attente perlegant, collationibus casuum conscientiae intersint, ut tam arduum ministerium rite exercent, neque eorum, quae probe tenenda sunt, inscitia aut oblivione, suam aliorumque salutem in discrimen adducant.

17. Etsi immutabilem sanctae Ecclesiae spiritum pro administratione hujus Sacramenti perdiscere possimus tum a veteribus Ecclesiae Patribus, quippe *quidquid vetustate percellit, idem venerabile est*, ut ait S. Basilius Magnus, (*Hom. 1 De jejun.*); tum a posteriorum temporum Pontificibus, Doctoribus, atque illustribus probatisque ab Ecclesia scriptoribus, praecipue si et doctrina et sanctitate commendantur: regulas tamen practicas respicientes Ecclesiae disciplinam, quae mutabilis et mutata est, in ejusmodi administratione tenendas a Confessario, ex canonibus et decretis Tridentini Concilii, et constitutionibus Summorum Pontificum, quibus errores Novatorum et Jansenistarum eorumque asseclarum proscripti sunt, nec non a Rituali et Catechismo Romano ediscere oportet. Ad hoc etiam maxime proderunt S. Caroli Borromaei, S. Francisci Salesii, B. Leonardi a Porto Mauritio, et S. Alphonsi Mariae de Ligorio monita et instructiones. Eorum igitur semper agendi rationem atque sententias sequantur Confessarii, nunquam partium studio abrepti, nec rigidiores unquam opiniones sectantes, quibus poenitentes a tam salutari Sacramento absterreantur, nec laxiores quorundam Theologorum opiniones, quae peccantium cupiditatibus favent, illosque miserrime in vitiorum caeno obdormire sinunt.

18. « Si enim ulla in re, concinne docet Leo Papa XII » (*Encycl. Litt. de extens. Jubil. ad univ. cath. gregem 8<sup>o</sup> kalend. Januar. 1825*), servanda est mediocritas, in hac » potissimum servetur necesse est, ne vel nimia facilitas » absolvendi facilitatem afferat peccandi, vel nimia diffi- » cultas alienet animos a Confessione, et in desperationem » salutis adducat. Sistunt se quidem multi sacramenti » Pœnitentiæ ministris prorsus imparati, sed persæpe tamen » hujusmodi, ut ex imparatis parati fieri possint, si modo » Sacerdos viscera indutus misericordiæ Christi Jesu, qui » non venit vocare justos sed peccatores, sciat studiose pa- » tienter et mansuete cum ipsis agere. Quod si præstare » prætermittat, profecto non magis ipse dicendus est pa- » ratus ad audiendum, quam ceteri ad confitendum acce- » dere. Imparati enim illi tantummodo sunt judicandi, non » qui vel gravissima admiserunt flagitia, vel qui plurimos » etiam annos abfuerint a Confessione, *misericiardiæ enim Domini non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus,* » vel qui rudes conditione, aut tardi ingenio, non satis in » seipsos inquisierint, nulla fere industria sua id, sine Sa- » cerdotis ipsius opera, assecuturi; sed qui adhibita ab eo » necessaria, non qua præter modum graventur, in iis in- » terrogandis diligentia, omnique in iisdem ad detesta- » tionem peccatorum excitandis, non sine fuis ex intimo » corde ad Deum precibus, exhausta caritatis industria, » sensu tamen doloris ac pœnitentiæ, quo saltem ad Dei » gratiam in Sacramento impetrandam disponantur, carere » prudenter judicentur ».

19. Austeritatis itaque et impatientiæ aculeos, etiam adversus personas molestas, a se ablegent Confessores dum hoc divinæ Misericordiæ opus exercent, memores illius Pauli (*Gal. VI*): *Fratres et si præoccupatus fuerit homo in aliquo*

*delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum ne et tu tenteris: « nam vera » justitia, docente S. Gregorio Magno, compassionem habet, » falsa dedignationem ». Quod qui non egerint, etsi neque rigorismi, neque laxismi systemata profiteantur, in utriusque tamen scopula impingent, vel absolutionem differendo, prætexentes indispositionem pœnitentis, sed revera laborem eum disponendi impatienter fugientes; vel statim absolvendo non plane dispositum, ut re illico confecta instructionis et reiterati accessus a se arceant molestiam. Tolerari itaque debet pœnitens molestus, et juvari indispositus omnibus caritatis argumentis: caritas siquidem vera salubriter uti consuevit nunc mansuetudine, nunc rigore, et « more periti medici similiter infundit vinum et oleum » vulneribus sauciati..... diversis experimentis utendo ad » sanandum ægrotum (*Innoc. III apud Leon. XII. ibid.*) ».*

20. « Si justa sit causa cur differenda sit absolutio, » Confessarius, verbis quoad poterit humanissimis, persuadeat confessis necesse est, id et munus officiumque » suum et eorum salutem omnino postulare; eosque ad redeundum quamprimum blandissime alliciat, ut iis fideliter peractis quæ salubriter præscripta fuerint, vinculis » soluti peccatorum, gratiæ cœlestis dulcedine reficiantur. » Aptissimo ejus caritatis exemplo inter ceteros esse potest » S. Raymundus de Pennafort, quem insignem sacramenti » Pœnitentiæ ministrum appellat Ecclesia. *Cognitis peccatis,* » inquit, *adsit (Confessarius) benevolus paratus erigere et » suum onus portare; habeat dulcedinem in affectione, pietatem » in alterius crimine, discretionem in varietate, adjuvet confitentem orando, eleemosynas et cetera bona pro eo faciendo, » semper eum juvet leniendo, consolando, spem promittendo, » et, cum opus fuerit, etiam increpando (Leo XII ibid.) ».*

21. Illud præterire silentio non possumus, damnabilem prorsus esse eorum agendi rationem qui a quovis pœnitente, hac tantum de causa quod prima vice eum audiunt, Confessionem generalem exigunt; quive dum eam a quolibet excipiunt, adeo morose procedunt, ut eam per hebdomadas mensesque protrahendo, etiam quando pœnitens sufficienter dispositus est ad absolutionem, nimis odiosam molestamque reddunt; vel qui ita festinanter pœnitentium Confessiones excipiunt, ut cum magna est eorum frequentia ac multitudo, omnibus brevi hora satisfacere videantur. Attendant, quæso, isti ne in tanto ministerio aliquam officii partem omittant. Satius certo esset paucorum vulneribus rite mederi, opportunis adhibitis medicamentis, ut sanentur, quam multorum vulnera leviter tantum attingere, eorumque dolorem lenire, quo sæpe fit, ut neglecta penitus computrescant, omnemque medicæ artis solertiam eludant (*Bened. XIV Const. 26 Junii 1749, n. 22*). Quapropter Parochus in cujus parœcia taliter ab aliquo Confessario peccatur, ipse eum in primis, uti par est, monere, et, si satis non sit, ad Nos deferre non omittat, ut tanto malo remedium afferamus.

22. Pro diversis circumstantiis ætatis, sexus, loci et conditionis pœnitentes prudenter interroget Confessarius, ne ignorantia, vel rubore detenti circa Confessionis integritatem delinquant. Non itaque omittat interrogationibus insistere circa corruptelas hodie obtinentes: sciscitetur nempe parentes et dominos de amovendo filios et servos ab instructione Doctrinæ Christianæ diebus festis, vel de negligentia in hoc munere exequendo: — personas honestæ fortunæ de omissione communium actionum pietatis et religionis, atque Doctrinæ Christianæ ob erubescientiam hominum: — studentes, litteratos et semidoctos, feminas



etiam alicujus culturæ litterarum imbutas de lectione librorum malorum; — insuper de jactantia irreligiositatis et impietatis: — adhuc istos et præfatos pœnitentes de esu ciborum prohibitorum: — caupones cujuscumque generis de ministracione illicita eorundem, et vini ad ebrietatem: — bibliopolas et typographos eorumque ministros de detentione, impressione et venditione librorum, qui ab Ecclesia vetantur: — qui victum locant (*chi tiene dozzina*) de negligentia in adolescentulorum cura, quos seipsis relinquunt, ut abeant juxta concupiscentias suas, pietatisque christianæ contemptores fiant: — præceptores de nulla religionis morumque cura quam ostendunt vel ostentant: — juvenes de irreverentia qua stant in ecclesiis, de societate cum dyscolis, de instigationibus alterutrum in malum, et de procacitate ad seducendas adolescentulas: — istas autem de inverecondia et immodestia sive ex malitia, sive ut usui se accomodent. De his itaque aliisque malis corruptelis pœnitentes, prout casus feret, interrogare non omitant Confessarii, cum per ipsos ut plurimum stet, ut tantis malis obvietur.

23. « Prudens tamen, cautusque sit Confessarius, ne » rudibus præsertim atque utriusque sexus junioribus ad » novum, et nunquam antea attentatum scelus occasionem » aperiat. » (*S. Car. Instr. Confess.*).

24. Personarum acceptio ubique odiosa, at in Sacramentis summum flagitium est. Videat igitur Confessarius, ne divitibus benigniorem, neve rudibus severiorem se exhibeat; sed erga omnes æque caritatis et sacerdotalis auctoritatis jura et leges adamussim servet, ut fidelis administrator Christi inveniatur.

25. Non cunctetur in difficilioribus casibus a Deo enixe lumen implorare, nec vereatur consilium exquirere

a prudentibus et expertis, aut ab auctoribus probatis sumere, antequam responsum ad rem dirimendam tradat; vel ipsemet doctioribus pœnitentes remittat.

26. Si qui ex pœnitentibus propriis, vel propriæ parœciæ fideles alios Confessarios adeant, caveat ne ex hoc capite illis se infensum ostendat, vel eos exprobare audeat, sed omnem eis libertatem concessam esse ultro doceat, ut consultius animæ suæ sibi provideant.

27. Inviolabile sacramentalis Confessionis sigillum ita religiosissime servet, ut in primis in ipsa excipienda nunquam vocis sonitu aliquod verbum intelligibile prodat; nulloque strepitu, murmure, corporis gestu vel signo, aut iræ vel aversionis indicio præbeat incaute adstantibus suspicandi occasionem, gravia peccata detecta esse, vel sine absolute pœnitentem dimitti. Deinde aliarum etiam personarum vel Confessariorum defectus, quorum notitia in Confessione habita est, altissimo silentio prematur. Si forte consilium capiendum sit de auditis in Confessione, caute admodum se gerat Confessarius, ne pœnitentem prodat, vel aliquam adversus ipsum ingerat suspicionem.

28. Facultatem Confessiones audiendi concedemus inculpatæ vitæ Sacerdotibus, qui prævio examine idonei reperti fuerint, et suorum Parochorum literis fidem fecerint assidue se divinis Officiis, nec non catechesibus Doctrinæ Christianæ operam dedisse, et casuum conscientiæ collationibus interfuisse, atque insuper fidem hebdomadalis Confessionis exhibuerint, ac demum Exercitia spiritualia statis temporibus peregisse (*Cap. XVI, n. 4*), eorum qui præfuerint testimonio comprobarint; quæ documenta exhibebunt etiam cum tradita eis facultas proroganda erit: sed pro prima vice Presbyter postulans facultatem debet petere

a Vicario regionis suæ in diœcesi exscriptum testimonium quo declaret, nihil obstare.

29. Ut opinionum ambages dissolvamus, et securius animarum bono prospiciamus, decernimus, in favorem tantum pœnitentium, validam haberi debere absolutionem impertitam a Sacerdote jurisdictione aliunde destituto, quando ex errore communi, etiam sejuncto a titulo colorato, Sacerdos absolutionem impertiens approbatus ad Confessiones reputatur.

30. Casus denique omnes S. Sedi reservatos et ad quos ipsorum jurisdictio certe non protenditur, probe calleant Confessarii. A peccatis item, quorum absolutionem, Nobis reservandam existimavimus, nullus Confessarius sive secularis, sive regularis, quocumque privilegio donatus sit, absolvere præsumat, nisi peculiarem a Nobis, aut a Vicario Nostro Generali, vel ab iis, quibus a Nobis potestas specialis facta fuerit subdelegandi, facultatem obtinuerit. Eorum autem elenchum hic subjicimus: in appendice (1) vero dabimus Nostra auctoritate roboratas 1<sup>o</sup> Regulas generales, 2<sup>o</sup> Declarationes authenticas, 3<sup>o</sup> Facultates vel generatim, vel particularibus Confessariorum classibus a Nobis concessas. Quæ omnia, una cum hac nova Tabella Casuum Reservatorum, a mense postquam hæc Decreta Synodalia obligare incipient, vigorem habere volumus, abrogatis omnibus, quæ de Reservatione Casuum sive a Prædecessoribus Nostris, sive a Nobis decreta fuerunt. Volumus tamen, ut quibus illimitatam facultatem concessimus absolvendi ab omnibus casibus Nobis reservatis, eadem perduret et extendatur ad omnes et singulos casus novæ

(1) Vid. App. V.

hujus Tabellæ: quibus autem intra certos limites facultatem concessimus, eadem intra limites ipsos perduret.

34. Jam nunc vero facultatem facimus Vicariis Foraneis pro incolis sui vicariatus, et singulis Parochis pro suis ovibus absolvendi ab omnibus casibus Nobis reservatis pœnitentes, quoties implere debent Paschalis Communionis præceptum. Item facultatem eandem supradictis concedimus pro quibuscumque pœnitentibus etiam alterius regionis vel parœciæ, qui tempore Quindenæ Paschalis etiam ampliata sacramentalem Confessionem apud aliquem ex iis saltem inceperint, ut apud eundem suam Confessionem perficere valeant.

### **CASUS NOBIS RESERVATI**

#### ***dispositi secundum ordinem præceptorum Decalogi***

1. Ecclesiam polluentes.
2. Blasphemia hæreticalis verbis expressa, saltem coram duobus audientibus et percipientibus, ad minus tribus vicibus in mense.
3. Qui diebus festis, nulla urgente necessitate, absque Parochi licentia, publice per se, vel per alios operibus servilibus vacaverint.
4. Qui parentes percusserint, a quibus quisque genitus fuit, aut avos, vel avias sive paternos, sive maternos.
5. Homicidium voluntarium.
6. Abortum procurantes.
7. Mulieres suffocantes etiam ex negligentia infantes quos nutriunt, et tenentes in lecto eosdem infantes ante annum completum absque debita cautione, re-pagulo scilicet, vel aliquo pulvinari, iudicio Parochi,

aut Confessarii, aut Medici, vel Obstetricis a Parocho probatæ, sufficienti ad avertendum suffocationis periculum, si a Parocho vel Confessario monitæ eos absque dicta cautione tenere non desinant.

8. Cum brutis coeuntes.
9. Peccatum sodomie perfectæ etiam attentatum.
10. Pater aut Mater, aut Maritus lenocinium uxori, aut filiabus præstantes, vel consentientes ut filie vel uxores se prostituant.
11. Incestus cum consanguineis vel affinibus in primo et secundo gradu, nec non cum cognatis spiritualibus.
12. Qui sponsalia contraxerint, si una ante coierint, quam matrimonium celebratum sit.
13. Incendiarii, et qui vindictæ injuriæve causa vites vel arbores inciderint.
14. Legata, vel Livella ad pias causas, aut Decimas non solventes.
15. Conficientes libellos infamatorios, illisque consilium, auxilium, vel favorem præstantes.
16. Caupones qui per se, vel per alios cibos ab Ecclesia vetitos adventoribus ultro offerunt, et omnes qui absque legitima causa publice eosdem cibos comedunt.



## CAPUT XI.

## DE EXTREMÆ UNCTIONIS SACRAMENTO

1. « Sacramentum Extremæ Unctionis delicta, si quæ » sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, et » ægroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo di- » vinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus » sublevatus, et morbi incommoda ac labores levius fert, » et tentationibus dæmonis, calcaneo insidiantis, facilius » resistit; et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ » expedierit, consequitur (*Conc. Trid. sess. XIV, cap. 2*) ».

2. Quamobrem Pastores præsto sint, cum opus fuerit, ad hoc Sacramentum conferendum, moneantque fideles ne adeo cunctentur, gravi infirmitate obrepente, illud exposcere, ut jam amissa omni spe salutis, carere vita et sensibus incipiant, antequam ad extremum inungantur. Magni enim refert ad uberiores Sacramenti gratiam percipiendam, si ægrotus ipse integra mente, dum sacro Oleo linitur, fidem et religiosam animi voluntatem afferre possit.

3. Cum sive in mulieribus, honestatis gratia, sive etiam in viris ex rationabili causa renum unctio omittitur, in unctioe pedum non dicatur: *quidquid per gressum et per lumborum delectationem deliquisti*; neque enim adhibita ad pedes unctio ullam habet cum renibus cognationem.

4. Si periculum sit ne deficiat tempus ad omnes unctioes complendas cum propriis formis, unica universalis forma proferatur, omnes nominatim sensus complectens,

simulque sensus singuli celeriter inungantur, in nullo sensu unctionem geminando; vel unica unctio in fronte fiat sub unica eadem forma universalis: post quam, si infirmus supervivat, omnia membra cum propriis formis, juxta præscriptum Ritualis Romani, continuè inungantur.

5. Si post susceptam sacram semel Unctionem æger convalescat, quoties postea iterum in vitæ discrimen inciderit; itemque si, eodem persistente morbo, post lapsum diuturni temporis rursus periclitari incipiat ægrotus, renovetur istius Sacramenti ministratio.

6. Gossypium vel stuppa, quæ ad abstergendas unctiones adhibetur, non comburatur in domo ipsius ægroti, sed servetur comburenda in apposito sacrarii vase, cineresque in istius puteolum versentur (*Rit. Rom.*).

7. Ne unquam, nisi ex necessitate, absque veste talari, neque sine superpelliceo et stola violacea hoc Sacramentum ministretur; ideoque in fenestrella cum sacro Oleo insimul recondantur superpelliceum cum stola violacea, parvaque crux lignea cum simulacro Crucifixi, infirmo præbenda antequam ministratio hujus Sacramenti et sacræ preces incipiantur, ut urgenti casu celerius omnia sumantur, cum accurrendum est ad Extremam Unctionem conferendam.

8. Non liceat apud Sacerdotem quemlibet servare Oleum infirmorum, nisi ob instantem necessitatem; et tunc reverenter reponatur in loco decenti et clave obserato. Cum vero defertur ad infirmum, regulariter ipse Parochus vel Sacerdos deferat inclusum bursa serica violacei coloris pectus cordula serica spensa ante (*Rit. Rom. Ord. min. Sacr. Extr. Unct.*).

9. Non omittat Sacerdos Extremam Unctionem ministraturus adstantes admonere, ut orent super infirmum, psalmos vel preces alias recitantes.

10. Mandamus Parochis ne, Sacramentis omnibus administratis, ægrotos deserant, neque oves miseris diripiendas lupis relinquunt; sed sæpe per se, aut, si legitime impediti fuerint, per alios Sacerdotes eos invisant, verbisque cælestibus et divinis, in tanto discrimine, oppressos confirment.

11. Curandum est etiam Parocho, ut festinanti ad mortem infirmo apostolicæ Benedictionis seu absolutionis beneficium impertiat ex formula a Benedicto XIV præscripta, et, quoad fieri potest, tempestive, vi mentis nondum extincta. Et quia beneficentissima Benedicti XIV sedulitate collatum est hoc absolutionis privilegium cum potestate etiam delegandi (*Const. Pia Mater anno 1747*); hac Nobis impertita facultate utentes concedimus, ut Parochus quilibet, vel, eo e domo ægri absente, Coadjutor, vel, utroque absente, quilibet alius Sacerdos-sive sæcularis, sive regularis, qui præsto esse possit, censeatur a Nobis deputatus pro ipsa Benedictione in articulo mortis tribuenda. Idem concessum esse volumus Confessariis ordinariis pro Monialibus, et suo tempore deputatis extraordinariis, nec non aliis Sacerdotibus qui in Seminario, in Conservatoriis, in Ginecæis, in Hospitalibus, in Carceribus pro periculose ægrotantibus inibi degentibus de mandato Ordinarii Confessiones excipiunt.

12. Impendente jam mortis articulo, ex ritu Ecclesiæ facta animæ commendatione, omni pietatis solertia Parochi vel Adjutores excedentem ex corpore animam muniant, ut ovem suam verus divinusque Pastor agnoscat. Per aliquot etiam campanæ ictus populum admoneant et excitent, ut piis precationibus exeuntem animam prosequatur, Deumque illi propitium reddat.

13. Sed dolere non satis possumus Medicorum, consanguineorum, et amicorum immanem quamdam pietatem,



qui, etiam in gravissimis decumbentium morbis, ne, ut ajunt, infirmos tristitia obruant, dissimulantes eo usque de periculo verba facere differunt, ut vel temporis angustia nullatenus Extremam Uctionem, vel nonnisi viribus mentis destituti aut infirmati percipere queant. Igitur blande quidem, sed sincere ac tempestive eos de periculo monere non omittant, vel saltem ab alio moneri faciant, ut in re tanta sibi prospiciant, cum agatur de momento a quo pendet æternitas. Quapropter Parochi pro commissa sibi animarum sollicitudine nedum identidem fidelibus omnibus, divitibusque in hoc frequentius peccantibus, illud e suggestu inculcent; sed Medicos etiam, quorum est ægritudinis vim agnoscere, privatim, quoties opus est, efficacibus verbis admoneant, gravi crimine reos fieri, si ex quovis titulo vel pretextu muneri suo in hoc deficiant, ne ipsi quidem Parocho, vel Coadjutori periculum infirmi tempestive haud renunciendo.

14. Cum insuper Nobis experientia nimis compertum sit, nonnullos ex hac vita decedere conscientia non expiata, et Sacramentorum virtute privatos ex domesticorum iniquo erga suos ægrotos amore, quo stulte trepidare solent, ne Parochi sive Presbyteri præsentia formidinem saluti corporis noxiam ægroti ingerat, illos, si prohibuerint quominus Parochus ægrotum periculoso morbo oppressum invisat, etsi non vocatus, ipso facto censura interdicti ab ecclesia innodatos volumus, si absque ullo Sacramento æger decesserit.

15. In hoc autem caritas Pastoris effulgere debet, ut errantem ovem studeat ad ovilem reducere tum maxime, quum, in ipsa gravis morbi procella, discrimini æternæ perditionis se committit, subsidia religionis, sacramentorum, religionisque ministros respuendo. Tunc enim Pastor misericordiæ viscera indutus nihil intentatum relinquat, Deumque

in primis tum privatis, tum publicis, si expediat, precibus adhibitis obsecret, hominesque ægroti conjunctos vel amicos obtestetur, ut sibi aperiatur via ipsum adeundi, qua possit cum commonere in spiritu lenitatis, et in omni caritatis instantia, ac demum, si oporteat, eum objurgare minis judiciorum Dei, ut misertus animæ suæ tandem sapiat et intelligat, et novissima provideat.

16. « Parochus, si morbus gravior vel cum periculo » fuerit, ægroti suadeat ut, dum integra mente est, rem » suam omnem recte constituat et testamentum faciat; si » quid habeat alienum restituat, et ad remedium animæ » suæ pro facultatibus quod in Domino ei placuerit dispo- » nat; sed, hæc suggerendo, omnis avaritiæ nota cavea- » tur (*Rit. Rom. De visit. et cura infirm.*) ».

17. Insuper Sacerdos quilibet: 1.<sup>o</sup> neque ipse scripto extendat actum ultimæ infirmi voluntatis, neque se testem, nisi ex magna necessitate, exhibeat; sed prudens consilium dare plerumque sibi sufficiat: 2.<sup>o</sup> suadeat autem, infirmum ita de rebus suis disponere; ut neque odio neque imprudentis prædilectionis affectui indulsisse videatur; sed sinceræ caritatis christianæ, et pietatis ac religionis indicia in suo testamento ad communem ædificationem ostendat.

18. Hortamur enixe ut in unaquaque Parœcia instituat illa Societas, quæ Caritatis dicitur, juxta decretum Prov. VII (*De collect. eleemos.*), saltem in eo quod spectat ad visitationem et adsistentiam præstandam moribundis, societatis regulas depromendo ex iis, quas ad hoc concinnavit S. Carolus Borromæus (*Act. part. 5, Regulæ pro Char. Confrat.*). Optamus autem, ut Sacerdotes quique inscribantur primi in albo hujus societatis, tam pro opere, quam pro eleemosyna præstanda.



## CAPUT XII.

---

### DE SACRAMENTO ORDINIS

1. Cum sacramentum Ordinis ideo instituerit Christus Dominus, ut Ecclesiæ suæ Spiritus septiformis munere novi in dies atque idonei per Episcopos suppeditarentur Ministri: ideo summum Nobis et indeficiens studium esse debet, ut illos dumtaxat eligamus, quos Deus ad tantum gradum assumere dignatur, eosque omni virtutum et doctrinæ disciplina excolamus.

2. Hoc ut ex voto contingat, Parochorum operam in primis efflagitamus. Ipsi doceant sive e suggestu, sive ad aures, qua mente tam parentes filios, quam isti seipsos Sanctuario offerre debeant. Ipsi explorent adolescentium initiandorum et promovendorum mores, indolem, ingenium, ac cetera, ex quibus conjicere liceat, an ad Ecclesiæ ministerium a Deo vocentur; eaque omnia, sine ulla personarum acceptione, Nobis ingenue referant, ne indignis Sanctuarii janua aperiatur, aut ne Ordines Sacri præsertim, non sine gravi Spiritus sancti injuria et animarum pernicie, eorum culpa, indignis conferantur.

3. Oportet etiam ut concordi mente Parochi cum Seminarii Nostri Rectore ac Moderatoribus procedentes de Clericorum profectu vel defectu, se invicem commonefacientes, ac de apta eos dirigendi ratione consilium ineuntes, concordi et incessanti opere ecclesiasticæ disciplinæ illorum animos imbuere satagant.

4. Verum quia de vita et conversatione præsentandi ad Ordines, quod nonnumquam ignoratur a pluribus, scitur a paucis (*Pontif. Rom. in ordin. Presb.*), ne, quæsumus, invidiæ nota Nobis inuratur, si, cum Sacerdotibus peritis divini legis, ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, quæ de illius actibus, aut moribus aliunde noverimus, perpendentes, aliquem, a viris ceteroquin præclaris commendatum, sive ad Ordines tardius promovere, sive a clericali militia expungere decernemus.

5. Qui clericalem habitum gestandi licentiam obtinuerit, quam nulli dabimus nisi adamussim expleverit quæ ad hoc in Synodo VII habentur sancita, atque Nobis, per litteras *reservatissime* mittendas ab examinadoribus, de vocatione et de idoneitate ingenii constiterit (sin aliud quandoque aliqua gravior causa suaserit), prima Tonsura non initiabitur, nisi per aliquod tempus in Seminario degens propositi constantiam, rectamque Deo et Ecclesiæ inserviendi intentionem comprobaverit vitæ innocentia et progressu in studiis. Ad Minores Ordines neminem promovemus, qui saltem a quatuor mensibus in addiscendis philosophicis disciplinis utiliter non insudaverit. Ad Subdiaconatum promovendus, præter cetera, per biennium, ad Diaconatum per triennium, ad Præbyteratum per quadriennium Theologiæ studio laudabilem operam navasse, et Seminarii Rectoris attestazione et experimento demonstrabit.

6. Sanctarum Ordinationum tempore adventante, omnes qui prima Tonsura initiari, vel ad Ordines sive Minores, sive Majores promoveri exoptabunt, a mense ante ipsam Ordinationem preces scriptas Nobis per Seminarii Nostri Rectorem offerent. Quorum autem preces exaudiendas in Domino judicaverimus, examen instituetur in hebdomada quæ

precedet dies, quos spiritualibus Exercitiis sedato animo et a curis soluto dicare oportebit.

7. Clericos, qui Exercitia spiritualia quotannis obire solent in Seminario, cum ad Ordines Minores promovendi fuerint duobus saltem, cum vero ad Majores Ordines quinque diebus eisdem Exercitiis incumbere jubemus, illius Sacerdotis ductu quem Nos constituerimus.

8. Titulus, quo promovendi ad Subdiaconatus Ordinem provisi pacifice gaudere debent, sive Beneficii, sive Capellaniam perpetuam, sive Legati Missarum perpetui, sive ecclesiasticam perpetuam Pensionis, sive laicalis saltem Patrimonii, habere debet redditus annuos libellarum monetæ austriacæ tercentum, deductis sumptibus et oneribus; vel saltem suppediabitur cautio hypothecaria, qua in casu necessitatis, vel legitimi impedimenti sustentatio decens promovendo certa reddatur, quin Missarum onera inexpleta remaneant. Ut autem removeantur fraudes in constituendis Titulis promovendorum ad Ordines aliquando occurrentes, decernimus nullum Titulum per Nos adprobatum iri, nisi illius constitutionis bonorum seu foundationis et reddituum, nominationis, electionis sive provisionis singula acta coram Officiali Curiam Nostram fuerint celebrata, illisque subscriptione signata. Electos, nominatos, provisos de Titulo, quin presentia et adprobatio Officialis Curiam Nostram accesserit, rejiciemus ab Ordinatione usquequo acta ad ecclesiasticam hanc formam redigantur.

9. « Jubemus ut Dominico illo die, qui sacra Tempora proxime præcedit in qualibet ex quatuor anni tempestatibus, Parochi non solum jejunium et supplicationes pro Ordinandis denuncient, verum etiam in sua unusquisque eorum parochiali ecclesia supplicationes, litaniasque (quæ, post *Pater noster*, adjectis Orationibus de Spiritu

sancto, et collecta *pro omni gradu Ecclesiæ*, concludentur) pie ac religiose, respondente populo, recitent; ut Dei Sanctorumque ope implorata, tum Episcopus in eorum delectu, quibus Ordines conferet, Spiritus sancti lumine illustretur, tum illi, quibus conferuntur, in vitæ sanctitate, doctrina, religiosisque virtutibus proficiant (*Pr. II, Tit. 4, Decr. 22*)\*.

40. Recenter ad Presbyteratum ordinati ne diutius differant primæ Missæ celebrationem: ejus vero occasione strepitus, epularum apparatus, splendida convivia, et omne lætitiæ prophanæ signum districte vetamus, ceterosque omnes abusos, qui primæ Missæ celebrandæ occasione irrepserunt (*Prov. I, Quæ pert. ad celeb. Miss.*).

41. Quo die ordinatus fuit quisque Sacerdos, eum diem quotannis recolat Sacrificio et præcibus (*Prov. III, De iis quæ ad div. off. pert.*); et eo incumbat, ut resuscitet gratiam Dei, quæ est in ipso cum impositione manuum Nostrarum (*II Tim. I*).



## CAPUT XIII.

---

### DE SACRAMENTO MATRIMONII

4. Magni hujus Sacramenti, perennem Christi cum Ecclesia conjunctionem designatis, sanctitatem, virtutem, finem ex divina institutione, conjugumque munia Parochi fideles edoceant eo, quo par est, gravi sermone atque intra pudoris et castimoniam fines cautissime circumscripto. Errores quoque nonnullos ex ignorantia et novatorum perveracia circa Matrimonii naturam, substantiam, juraque Ecclesiam ad illud attinentia huc illucque erumpentes, scite, ac fortiter profligare contendant. Inter cetera ex Tridentino (*Sess. XXIV, can. 4.*), et ex Bulla Pii Papæ VI *Auctorem fidei* (*Prop. 58, 59, 60*) docere non omittant, Ecclesiam semper potuisse ac posse constituere impedimenta, quæ Matrimonium non solum impediunt, sed et nullum reddant quo ad vinculum; atque sponsalia proprie dicta actum mere civilem non continere, sed quasi actum disponentem ad Sacramentum subjacere sub hac ratione juri Ecclesiam; ideoque adhuc remanere in suo robore impedimentum impediens proveniens ex sponsalibus, et dirimens quod dicitur *publicæ honestatis*: neque demum reticeant quæ potissimum de connubii indissolubilitate sancta mater Ecclesia catholica definivit (*Trid. ibid. can. 5, 6, 7*). De omnibus vero canonicis impedimentis, prudentissime quidem, sed aliquoties per Parochum ad populum verba fieri volumus (*Syn. Laud. VII*).

2. Minori haud studio et labore nitantur insectari et evellere perniciosissimum ausum, quo plurimi hodieum dissoluti juvenes, prætextu futuri Matrimonii prudentius ineundi, puellas quas adamant frequenter adeunt, ac familiariter cum ipsis versantur non sine culpa, saltem ob periculum peccandi. Vehementiori ceterum zelo corripiant parentes socordes, et divinam ultionem interminent iis, qui vigili solertia non custodiunt et coercent filias, imò execrabili quadam oscitantia, vel potius conniventia earum cum amasiis colloquia et consuetudinem tolerant: præcipue si promissio de futuro Matrimonio contrahendo intercesserit. Hos profligatæ conscientiæ parentes et liberos, nisi moniti resipuerint, vel nisi peculiaria pœnitentiæ signa dederint, Confessarii cum audierint, caveant sacramentaliter absolvere, ne aliis et sibimetipsis latam sternant æternæ perditionis viam.

3. Admonendi erunt sponsi atque hortandi a Parochis ut aliquo temporis intervallo, antequam ad Matrimonii celebrationem deveniant, omnes conscientiæ recessus perito Confessario aperiant, eaque præsertim peccata, si quæ admiserint, quamvis jam alias confessa, declarent ex quibus aliquod oriri potuit impedimentum; ne, facta instantibus jamjam nuptiis Confessione, detectoque inde impedimento, in gravissimas incidant angustias. Confessarii autem præ oculis habeant, ut id ipsum prudenter ac modeste a pœnitentibus exquirant.

4. Quanta debeant Parochi invigilare solertia, ne sponsi de futuro sub eodem degant tecto, antequam Matrimonium per verba de præsentis contrahatur, non est cur immoremur hic pervulgare. Sed tale scandalum nullo modo tolerare volentes, pertinaces, qui præcepto Parochi separationem injungentis non paruerint, interdicto ab Ecclesia subjiciemus.



5. Sequentia ex Synodo VII, paucissimis expunctis vel adjectis, ad verbum deprompta, ac si Nos ipsi de novo in hac Synodo VIII edixerimus, robur habere volumus et fideliter servari jubemus.

a. « Qui per quinque, vel sex menses continuos absentes fuerint a diœcesi, declaramus eos diu abesse ad effectum, ne Parochi illorum Matrimonio assistant sine Nostra licentia ». Opòrtet enim omnino ut sui status liberi attestationem ejusdem diœcesis Ordinario probatam Curiāe Nostræ exhibeant tum ipsi, tum alii qui a pubertate diutius in aliena Diœcesi vitam degerunt.

b. « Antequam Parochus — vel Sacerdos de ipsius mandato — ad exigendum consensum deveniat, moneat contracturos matrimonium, ut bene cogitent, num alteri fidem dederint illud contrahendi; num votum castitatis, vel religionis emiserint; num inter eos sit aliquod genus cognationis quod Parochus clarè et distincte explicabit; docebitque utrumque contrahentium, quod si scienter in gradu prohibito contraherent, excommunicationem ipso facto incurrerent; et spe obtinendæ dispensationis privarentur ».

c. « Experimentum faciat num uterque sciat rudimenta Fidei (ea enim docere debent filios suos, inquit Rituale Romanum), et ubi invenerit eos ignorare Orationem Dominicalem, Apostolicum Symbolum et Præcepta Decalogi, ad Matrimonium incundum sine Nostra licentia non admittat (*Synod. II. Laud. De Sac. Matrim.*). Qui vero præcipua mysteria Fidei tenent, quædam vero de necessitate præcepti addiscenda rudi modo perceperint, ac memoriter retinere non possint a Matrimonio non arceantur; sed curabit Parochus, ut illi eadem frequenter audiant ». Parochus ipse personaliter, nisi gravis necessitas Coadjutorem substituere exigat, istud examen utriusque sponsi

separatim instituat, et consensum, non promissionem de futuro Matrimonio, antequam publicationes in ecclesia fiant, excipiat. Id vero fieri non liceat in domibus privatis, sed in cubiculo residentiae parochialis, januis quidem apertis, sed comitatu sponsorum ita remoto, ut queat videre non autem audire sponso, dum interrogantur separatim a Parocho.

*d.* « Parochus in habendo consensu ad sponsalia modeste et religiose se gerat: moneat sponso ut, antequam Matrimonium celebretur, nedum peccata sua confiteantur, sed et SS. Eucharistiam sumant ».

*e.* « Matrimonium in ecclesia parochiali, et non ante auroram, neve post occasum solis, et nisi una saltem ex foribus ecclesiae sit aperta, contrahatur ». Secus fieri districte prohibemus, nisi ex decreto Nostro, gravibus de causis concedendo, permissum fuerit. Decreta vero S. R. Congregationis a Pio VI sancita ac per Nos quotannis in Calendario edita circa Missam celebrandam pro sponsis religiose servantur. Verum alios Sacerdotes a Parocho nisi raro delegari volumus, qui ipsius fungantur vicibus in celebrando Matrimonio.

*f.* « Peracta benedictione, monitionem sermone gravi faciendam, ex praescripto Missalis Romani, Parochus non omittat » nisi ob graviolem necessitatem. Ceterum caveant Parochi ab impertienda Benedictione cum SS. Sacramento sponsis immediate post celebrationem Matrimonii, non obstante quacumque in oppositum consuetudine.

*g.* « Clamores et strepitus, qui quandoque vel ante, vel post celebrationem Matrimonii alicubi a plebe in via excitantur, frequentibus exhortationibus et increpationibus Parochi avertere satagant ».

*h.* « Quandocumque per nos indultum fuerit, ut Matrimonium temporibus a sacro Concilio Trid. vetitis celebrari

possit, pro ipsorum contrahentium quiete permissam etiam esse privatam traductionem sponsæ, seu uxoris, ad domum viri et matrimonii consummationem, ex oraculo Benedicti Papæ XIV gloriosissimæ memoriæ ».

6. Si sponsorum alter alienæ parœciæ subditus sit, consensum contrahentium ille Parochus perquirat in cujus parochia sponsa degit; idque servetur etiam quo ad consensum per verba de præsentî, scilicet quo ad Matrimonii celebrationem in ecclesia, nisi Parochus sponsæ hoc jus cedat Parocho sponsi. Hic vero ad proclamationes ipsas non procedat, nisi habitis litteris a Parocho sponsæ. Uterque autem Parochus in libro peculiari proclamationis actum describat, et in archivio servet.

7. Matrimonia in ecclesia proclamantur non oscitanter, seu quasi perfunctorie, sed congrua adhibita diligentia, ad eam formam, quæ præscribitur in Rituali Romano. Parochus vero ad quem spectat, Matrimonii celebrationi caveat interesse antequam ex scripta attestatione cognoverit in alterius etiam sponsi, qui sibi subditus non est, Parochia denuntiationes factas fuisse, nullumque detectum impedimentum. Si sponsorum alter, vel uterque ab una in aliam parœciam migravit, nisi saltem per sex hebdomadas in nova parœcia habitaverit, in utraque denuntiationes habeantur, in ea nempe a qua recessit, et in qua nunc domicilium habet. Cum vero alteruter contrahens alienæ diœcesis est incola, quamvis ille proprii Parochi attestationem exhibeat de factis denuntiationibus, nisi tamen approbatione et sigillo Ordinarii munita, atque in Curia Nostra recognita fuerit, Matrimonium inire non permittatur.

8. Data opportunitate, non prætermittant Parochi fideles quoque edocere debitum pergrave denunciandi

impedimenta, si quæ subesse noscuntur, etsi occulta sint, et quamvis judiciali forma probari nequeant; hocque debito haud solutos esse, qui cum sponsis cognationem habent.

9. Parochus rescians quodvis impedimentum subesse, aut si dubium tantum quo ad id, vel quo ad veritatem denunciationis impedimenti intercedat, ad celebrationem Matrimonii minime deveniat, Nobisque aut Vicario Nostro Generali rem illico notam faciat. Muneris Nostri erit absque ulla mora præceptum de Matrimonio aut celebrando aut differendo, aut prohibendo ad Parochum mittere, ne inique vexetur.

10. Expletis proclamationibus, nulloque impedimento detecto, eadem die, qua novissima proclamatio facta fuit, matrimonium non celebretur, sed in proximam saltem diem differatur; item Parochus cujus est attestationem ex proclamationibus dare, quod nullum fuerit impedimentum detectum, attestationem ipsam non emittat, nisi sequenti die post novissimam proclamationem.

11. Immediate post Matrimonium celebratum ejus monumentum Parochus in libro ad hoc comparato diligenter describat, juxta formam in Rituali Romano præscriptam.

12. Animarum Curatores tandem monemus, ut validissimam conferant operam, ne quos Deus conjunxit, semetipsi separent, ab individua vitæ consuetudine temere et passim divertentes. Qui sine legitima atque Ecclesiæ judicio probata causa a communi cohabitatione audacter recesserint, ac moniti bis per Parochum redire in gratiam et in pristinam vitæ societatem detrectaverint, Nobis denunciari jubemus, ut adnitamur opportunis remediis eos ad officium revocare.



## DE INDULGENTIIS

1. Cum temporalis pœna quampluries eluenda maneat peccatori, postquam remissionem culpæ a divina elementia obtinuit; illius propterea vel per opera pœnalia satisfactionem Deo exhibere debet, vel remissionem per Indulgentiam obtinere.

2. De Indulgentiis itaque catholicam doctrinam tradant Parochi, Concionatores et Catechistæ, in primis, ex sacrosanctæ Tridentinæ Synodi definitione (*Sess. XXV Decr. de Indulg.*), de fide esse docentes, a Christo concessam fuisse Ecclesiæ potestatem Indulgentias conferendi, earumque usum Christiano populo maxime salutarem esse.

3. Deinde inhærendo Constitutioni Pii VI *Auctorem fidei* docendum: 1.º Indulgentias, præter nudam remissionem pœnæ canonicæ, valere etiam ad remissionem pœnæ temporalis pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam (*Ibid. Prop. 40*): 2.º Thesaurus Ecclesiæ, unde Papa dat Indulgentias, esse merita Christi et Sanctorum (*Ibid. Prop. 41*): 3.º Indulgentias applicari etiam posse animabus in Purgatorio degentibus (*Ibid. Prop. 42*); cujusmodi inter alias sunt Indulgentiæ, quibus Romani Pontifices consueverunt ditare Missas, quæ in altaribus privilegiatis celebrantur (*Ibid. Prop. 43*).

4. Insuper docendum sibi divinitus tradita potestate Indulgentias conferendi, antiquissimis etiam temporibus Ecclesiam usam fuisse (*Trid. Sess. XXV Decr. de Indulg.*); non tamen semper eundem fuisse hujus facultatis usum?

quippe semper Ecclesiae iudicio relicta fuere ea quae ad earundem œconomiam spectant pro temporum, personarum, aliarumque circumstantiarum diversitate (*Bened. XIV De Syn. Diœc. L. 13. C. 18. N. 6*).

5. Præter alia vero quae ex probatis auctoribus, ut scite edoceantur fideles, erui fas erit, hæc Sacrae Indulgentiar. Congregationis responsa fidelibus exponere præstat: 1.º Quando Confessio exigitur tamquam conditio ad Indulgentias assequendas, institui debet etiam de solis peccatis venialibus (*19 Maji 1759 approbante Clem. XIII*): 2.º Omnes tamen qui singulis hebdomadis, si nullo impedimento detinentur, confiteri solent, eas Indulgentias lucrari possunt absque alia Confessione, dummodo mortali peccato non sint gravati (*9 Septemb. 1765*): 3.º Confessio etiam pro aliis fidelibus sufficit ad Indulgentias obtinendas quando facta sit octo ante festum diebus (*15 Decemb. 1844*): 4.º Qui lethali non tenetur peccato eas Indulgentias consequi potest si confiteatur, etsi absolutionem non percipiat: 5.º Communio fieri potest etiam in pervigilio festi pro quo Indulgentiæ declarantur concessæ (*12 Junii 1822 approbante Pio VII*).

6. Quum vero, ut docet S. Antoninus, non sit credendum quod propter has Indulgentias generales minus teneantur fideles agere pœnitentiam in hac vita, etenim tota christiani hominis vita, uti Tridentina Synodo admonemur (*Sess. XIV De Extrema Unctione*), perpetua pœnitentia esse debet; idcirco et Parochi et Concionatores in hoc insistant, ut populus ita Indulgentiarum amore teneatur, ut dignos pœnitentiæ fructus facere non prætermittat: non enim desidibus et voluptatum amatoribus divinæ misericordiæ munera impartuntur, sed fervidis et vigilantibus, et crucem Christi libenter ferentibus.

7. Indulgentias omnes, etsi generatim concessas, typis edi sine Nostra licentia vetamus, sed e suggestu in memoriam revocari poterunt, quando certe constet legitime concessas fuisse. Quæ tamen alicui loco in diœcesi Nostra concessæ fuerint, eas nemo sive Secularium, sive Regularium, sive Confraternitatum prætextu cujusvis privilegii exponat sine Nostra facultate scripto impetranda (*Prov. V De Indulg. et Clem. VIII. Constit. Quæcumque anni 1604*).

8. Caveatur etiam, ne quæ ad tempus concessæ fuerint, eo transacto, sine nova concessione exponantur.

9. Advertendum insuper, eas, quæ mille annorum pœnam et quæ amplius dimittere dicuntur, tamquam apocryphas Bened. XIV (*De Synodo Diœces. L. 13. cap. 18*) rejecisse et Pium IX fel. regn. Sacerdotibus recitantibus intra preces post Missam devotissimam Orationem = Obsecro Te Domine Jesu, etc. = concessisse Indulgentiam trium annorum, apocrypham declarando concessionem aliam plurimorum annorum, quæ legebatur in antiquis tabellis, quas corrigere mandavit (*Congr. S. Indulg. 11 Decemb. 1846*).

10. Invigilent Parochi, ne fideles in errorem inducantur a mendicis et erronibus, qui ob quæstum Indulgentias nummismatibus, imaginibus vel hujusmodi, quæ venalia habent, adnexas esse dicunt.

11. Quum Parochi in omnem plebis sibi commissæ spiritualem utilitatem intendere debeant, commendabiles erunt si ab Apostolica Sede impetrare curabunt Indulgentias pro solemnitatibus suarum ecclesiarum, easque opportune prænunciare, docentes populum quæ servare oporteat, ut iis ditari possit.

12. « Ut cœlestes hos Ecclesiæ thesauros non ad quæstum, sed ad pietatem exerceri, omnes vere intelligant (*Trid. Sess. XXI, cap. 9*) », neprope expositum Indulgentiæ

diploma ullæ sint capsulæ, pelvis, vel aliud quidquam ad eleemosynas colligendas, neque hinc inde ardeant cerei.

13. Quæ in Calendario passim proponuntur Indulgentiæ, eas Parochi indicere populo non negligant, imo enixa exhortatione commendent.

14. Has vero cupimus Indulgentias, præter alias suis locis in hac Synodo recensitas, commendari fidelibus; nempe concessas (1).

1.º Illis qui saltem per quadrantem horæ singulis diebus orationi mentali operam impendent:

2.º Recitantibus flexis genibus singulis Fer. VI quinques Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam ad æris campani indicium hora 3.ª post meridiem in memoriam Passionis et Agoniæ Domini N. J. C.: ideo renovamus Decretum Conc. Prov. II (*Tit 2, Decr. 10*) præcipimusque, ut illud sonum campanæ distincte detur in parochialibus ecclesiis quaque sexta feria, prædicta hora:

3.º Recitantibus ex corde Actus Fidei, Spei et Caritatis:

4.º Recitantibus Angelus Domini etc., ad æris campani sonitum mane, meridie et in vespers:

5.º Pronunciantibus corde saltem contrito jaculatoriam — *Gesù mio misericordia*: —

6.º Exercentibus orationem Viæ Crucis:

7.º Recitantibus quotidie semel Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam, vel intendentes offerre quam mane, aut vespers recitare consueverunt, pro Missionum progressu cum invocatione — *S. Franciscæ Xaveri ora pro nobis* — atque semel in hebdomada quinque centesimos offerentes collectoribus pro pia Sodalit. Propagationis Fidei.

---

(1) Vid. Append. III.



## CAPUT XV.

---

# DE SACRIS ÆDIBUS, ALTARIBUS, ET COEMETERIIS EORUMQUE CULTU ET ORNATU

1. Tempa sacra, cum sint tabernacula Dei cum hominibus habitantis, maximo in honore haberi oportet, omnique decore et cultu enitere debent, tamquam sponsa ornata viro suo.

2. Parochi et Sacerdotes in primis zelo domus Dei ceteris præemineant et exemplum omnibus præbeant tum reverentiæ qua in iis versari debetur, fabulis et risui nulimode indulgendo; tum impigræ vigilantiae in impediendo prophanationes; tum amplioris pro viribus munificentiae in earum decore curando.

3. Ne laici homines in Ecclesiis earumque Sacrariis, vel Oratoriis de rebus prophanis, aut de iis quæ ad Ecclesiam non pertinent congregationes vel parlamenta publica habeant (*Proc. II, tit. 2, decr. 23.*).

4. Nemini cum canibus Ecclesiam ingredi liceat; ideoque, si opus fuerit, Parochus de hoc delinquentes moneat, ne devotioni fidelium, et Ecclesiae reverentiæ officiant (*Proc. I, De Eccles.*).

5. Mulieres velo desuper obducto, non galero, (*Proc. III, De iis quæ pertinet ad orn. et cult. Eccl.*) capita tegant in Ecclesia, ut jubet Apostolus; illudque, non a fronte revulsum, capillaturam omnem operiat.

6. Locus distinctus a mulieribus assignetur viris, ubi absque gravi incommodo fieri potest, nedum tempore Doctrinæ christianæ, quo velarium ob divisionem longe per Ecclesiam duci debet, sed etiam Missæ solemnis ac ceterarum functionum (*Prov. IV, De Relig. in sacris locis Prov. IV, De Eccl. fabr. — Can. IX, De Consecr. dist. 1*).

7. Nova Templâ, Oratoria, Sacella, Cœmeteria vel ipsa Altaria, inconsulto Episcopo, ædificare, vel jam constructa diruere minime liceat (*Prov. IV, De Relig. in sacr. loc.*). In Ecclesiis vero et publicis Oratoriis recenter constructis sacrum confici vetitum esto, nisi prius per Episcopum dedicata, vel ejus auctoritate benedicta sint (*Can. XV, De Consecr. dist. 1*).

8. Quoties Ecclesiæ, Oratorii et Cœmeterii cujuscumque parietes frangere aut reformare, vel novi aliquid eisdem adjungere aut detrahere, vel in ipsis nova organa fabricare aut ampliare, vel ambones construere, vel novas tabulas, picturas, sculptilia intus aut extra parietes eorundem collocare, vel campanas aut turrim renovare oportebit, ad Nos specimen rei et expensarum exhibeatur, ut ab expertis viris, ad id a Nobis deputatis, res tota examine probetur, ne unquam in posterum quid incongruum fieri contingat.

9. Epigraphes Ecclesiis omnibus apponendas, aut Cœmeteriis civitatis a Nobis probari fas erit; Cœmeteriis autem diœcesis a Parocho.

10. Parietes Ecclesiæ extrinsecus calce liniri, et decenti ac vivido colore non imaginibus pingi; frontispicium autem, si non sit marmoreum vel gothicæ architecturæ, pictura decenti et imagine Sancti Patroni ornari decet.

11. Juxta Ecclesias nulla sit ædes vilibus et sordibus usibus destinata, quales forent cauponæ, lanienæ et stabula

unde vel fœtore, vel strepitu irreverentia divino cultui afferatur. Revellantur arbores, vepres, hederæ ad parietes adrepentes; et si quæ arbor Ecclesiæ proxima patulis diffusa ramis eam obumbret, excidatur. Ne autem prope parietes sordes fiant, sæpe fideles admoneant et sæpius pervigilari curent Parochi. Neque omittant auctoritate Nostra prohibere, quominus in atrio Ecclesiæ sive porticu prophani cœtus fiant, res venales exponantur, aut earundem auctio (*asta*) fiat, nisi permittente Parocho interdum hoc fiat ob necessitatem et de rebus Ecclesiæ.

12. Si forte in aliquibus Ecclesiis, præsertim parochialibus, sedilium uniformitas nondum fuerit introducta, hanc intra annum inducendam esse decernimus, ut Templi majestas magis effulgeat. Sedilia autem nullum habeant suppedaneum. Numeri nota, potiusquam utentium nomine eadem signari præstat (*Syn. Viglev. 1823*). Jus autem de sedili in Ecclesia habendo sive jam acquisitum, sive in posterum acquirendum nec donari, nec vendi, nec alio quocumque seu gratuito, seu oneroso titulo in alium transferri posse decernimus; sed Ecclesiæ administrationi relinquatur, a qua sedilis tantum valor compensetur cedentibus.

13. Sedes mobiles (*sedie* aut *scranne*) cujuscumque formæ in Ecclesiis parochialibus, vel subsidiariis, ubi SS. Sacramentum servatur, privato nomine et commodo detineri vetamus, atque existentes infra bimestre amoveri jubemus. Permittimus sane cura administratorum sedes mobiles petentibus distribui cujuscumque functionis occasione non tamen Doctrinæ Christianæ, dummodo distributio cedat in utilitatem Ecclesiæ, expensis deductis. Eadem non ponantur nisi in locis per Parochum adsignandis; amoveantur ad illius nutum; nulli unquam distributio ex pacto locetur; senibus aliisque benemerentibus de Ecclesia gratis

dentur pro Missa et verbi Dei prædicatione audienda; unius denique formæ fabrefactæ existant.

14. In quacumque Ecclesia parochiali cupimus sedilia immobilia (*panche*) nulli adsignata et numero per Parochum loci statuendo cura administratorum et expensis Ecclesiæ, vel Communitatis parari.

15. Ecclesiæ parochiales consecrari debent (*Prov. IV, De Eccl. et Altar. Consecr.*); notetur autem dies mensis et annus consecrationis, in tabula marmorea, quæ collocetur in fronte Ecclesiæ in loco illustri (*Prov. IV, Ibid*).

16. Altaria sint lapidea vel saltem lateritia, sine ullo foramine neque fenestrella (*Prov. IV, De Capell. et Altar.*), nisi forte in parte posteriori pro sacris Reliquiis tantum (*Cap. IV*). Si quæ sint alia foramina claudantur. Fenestrella autem pro urceolis in pariete Presbyterii prope Altare construatur (*Decr. Visit. Apost. Mediol. Tit. Altare*).

17. Ne cui errare contingat, edicimus statutum esse in provinciali Concilio Mediolanensi quarto (*De Capell. et Altar.*), quod Petra Sacrata non sit minor uncis 20 in longitudine et 16 in latitudine, idest 35 centesimis partibus metri, et 28 in latitudine. Mensa vero consecrata, itémque Petra tela cerata cooperiatur (*Visit. Apost. Med. Ibid*), quæ amoveri non possit (*Prov. IV, De orn. decor. nit. Sacr.*).

18. Quodcumque Altare tobaleas tres habeat, ex lino, vel canabe, quarum una ad planum usque pertingat.

19. Tabellæ secretorum, finitis Missis, deprimantur sub tela stragula Altaris, quæ adesse debet ad tobaleas a pulvere defendendas (*Prov. IV, Ibid*).

20. Verratur Ecclesia quæcumque semel saltem in hebdomada, die qui præcedit festum vel dominicum: sed Ecclesiæ parochiales et aliæ magis frequentatæ, ne

sordescant tota prope hebdomada, verrantur etiam feria secunda, et quotiescumque Parochus ulterius jusserit. Bis etiam in anno a cornice et parietibus pulvis et sordes omnes excutiantur (*Acta Eccl. Med. pars, IV, Regulæ et instructiones de nitore et munditia Eccl. etc. § Primum igitur, et § Pavimentum*).

21. Puteolum ubi infundatur ablutio corporalium, etc., præscribimus fieri, ne dum in Ecclesiis parochialibus, sed etiam in Oratoriis publicis.

22. Oratoriis et Sacellis, ubi Missa celebratur, imponi cœnacula, cubicula, horrea vel quisque locus ubi aliquis inhabitet, vetitum esto. Item ne inferantur in Oratoriis segetes aut res aliæ sacris usibus minime addictæ, eorum claves vel Sacerdoti inibi commoranti, vel pio viro custodiendæ tradantur a Parocho, non autem colonis vel conductoribus ædium vel prædiorum ejusdem Ecclesiæ (*Prov. IV, De profano usu a sacris loc. toll.*). Provideatur etiam ut pio viro officium committatur aperiendi, claudendique fenestras ad humiditatem ac fœtorem abigendum, nec non verrendi pavementum ceteraque præstandi, quæ decori et salubritati conferunt.

23. Nedum in Ecclesia, sed et in Sacrario seu Sacristia decus in omnibus servetur: ideoque ne incomposite ibi unquam mancant paramenta vel utensilia Ecclesiæ, uti candelabra, cruces, asseres, scalæ et similia; sed in armariis vel in cubiculis appositis reponantur. Insuper tam in Ecclesiis, quam in Sacrariis omnibus, etiam Cathedralis Nostræ, silentium omnino servari volumus, ne loca ubi vel Confessiones excipiuntur, vel Sacerdotes ad Sacrum peragendum se colligunt, vel ad sacra officia obeunda parantur in plateas vertantur. Si autem ex necessitate sit loquendum, submissa omnino voce id fiat. Nullimode

etiam tolleretur, ne quis laicus otiose aliquantisper subsistat, imo nullus vel pro Missa, vel pro verbo Dei audiendo ibi manere permittatur, nisi locus desit in Ecclesia. Districtissime autem vetamus, ne ephemerides (*gazzette*), aut libri prophani ibi legantur, vel de rebus prophanis pertractetur, quamvis Sacrarium distet ab Ecclesia. De hisce omnibus conscientiam Parochorum et Præfactorum oneramus.

24. Quum in nonnullis parœciis cura pulsandi campanas demandetur quibusdam laicis per Communitates locorum vel ex parte, vel ex integro conductis, istos in officio permanere, vel de novo assumi districte vetamus, nisi de assensu requisito et explicito Parochorum.

25. Idipsum servandum esse volumus, quamcumque contrariam consuetudinem reprobantes, quo ad laicos omnes Ecclesiarum inservientes, quocumque nomine vocentur (*sacristani, organisti, lecamantici, ecc.*). Nullus vero pro quocumque officio conducatur, nisi de anno in annum. Decebit benemerentes iterum post annum conducere, sed nunquam dissentiente Parocho, qui tenebitur tantum Episcopo causas sui dissensus exponere.

26. Claves cujusque Ecclesiæ parochialis nec non rerum omnium in Ecclesia aut Sacrariis existentium, quarum usus requiritur sive pro Sacramentorum administratione, sive ad ordinarias functiones cultus divini et ad curam animarum, etiam penes Parochos esse jubemus, ne ulla unquam de causa impediatur ab iis, quæ ad Dei gloriam et animarum ædificationem promovendam conferunt.

27. Parochus paterna objurgatione corripiat eos, qui parvipendentes officia Ecclesiæ, dum Vesperæ canuntur festis diebus, otiosi morantur ante fores Ecclesiæ: eosque enixe hortetur manere in domo Dei ad laudes Deo solvendas,

atque Indulgentiam 40 dierum singulis vicibus assequendam, quam eis concedimus qui vel inibi psallunt, vel pio animi sensu eo temporis sacræ psalmodiæ assistunt. Si qua vero necessitate extra Ecclesiam detineantur, non prope eam consistant, sed ita procul, ne aliis scandalo sint. Studeat præsertim Parochus, totisque viribus contendat, adhibitis etiam, quoad fieri potest, piis ac prudentibus viris, pravam illam consuetudinem prudenti zelo eradicare, quæ juvenes ante fores Ecclesiæ stantes, dum inde exit populus, pietati aut verecundiæ mulierum aspectibus, verbis aut irrisionibus insidiari non verentur.

28. Cæmeteria nihil vanitatis aut paganæ superstitionis redoleant: integræ autem parietes serventur, et prope eos vel intus arbores et vepres succrescere non sinantur; ferrea aut lignea crux in medio Cæmeterii fixa sit, excelsa et prætereuntibus conspicua. In singulis Cæmeteriis congruit esse situs decentior pro tumulandis exuviis Sacerdotum, item alius pro cadaveribus infantium, qui septennium non attigerunt. Situm item inesse præscribimus pro cadaveribus infantium, qui absque baptisate decesserunt, et infidelium. Eo autem assignetur, ubi introsipientibus non facilis appareat, ita tamen ut parieti anteriori, qui ornari solet inscriptionibus et sacris insignibus, non adhæreat. A spatio benedicto Cæmeterii separetur parva pariete, aut columnis et vectibus. Cum vero primum aptabitur (quod fieri debet intra annum), si humus jam fuerit benedicta cum ossibus defunctorum christifidelium eruatur, et nova non benedicta inferatur.

---

CAPUT XVI.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM

1. Clericos, quos Dominus de mundo elegit ut sui essent, meminisse oportet, se vicissim Deum elegisse in partem hæreditatis suæ, et quod « propterea, ut ait D. Hieronymus, (*Epist. 52 ad Nepotianum* § 2) vocantur Clerici » vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, » idest pars Clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere » debet, ut et ipse possideat Dominum et possideatur a » Domino ». Huc itaque in primis Clericorum animi tendere debent, ut Deo adhæreant per flagrantem caritatem, ipsique serviant in sanctitate et justitia. Verum et pro hominibus constitui sunt, ipsisque debitores existunt ædificationis et cooperationis ad æternam salutem. Cujusvis itaque ordinis Clerici serio recogitent « nihil esse quod » alios magis ad pietatem et divinum cultum instruat, » quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio » dedicarunt. Quum enim a rebus sæculi in altiore loco cum sublatis conspiciantur, in eos tamquam in speculum » reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur. Quapropter sic decet omnino Clericos in sortem » Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere, » ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus » rebus nil, nisi grave, moderatum ac religione plenum » præseferant; levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima



» essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant ve-  
 » nerationem (*Trid. sess. XXII, c. 4, De Reform.*) ». Hæc  
 sane verba sacrosancti Tridentini Concilii commentarium  
 quoddam sunt sententiæ Apostoli Pauli, qui in seipso Mi-  
 nistrorum novæ Legis formam exhibens, ait (*II Cor. VI, 3*):  
*Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur mini-*  
*sterium nostrum: sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos*  
*sicut Dei ministros.* Quæ salubria monita, cum ceteris quæ  
 in sacris Canonibus sancita sunt, utinam omnes et evol-  
 verent et servarent Clerici! Non esset certo cur hæc nova  
 circa ea, quæ eisdem facienda vel declinanda sunt, edice-  
 remus: quæ nova quidem ex forma, re tamen ipsa an-  
 tiqua sunt.

2. Cujuscumque gradus Clerici seipsos sincerissime  
 ad pietatem exerceant, quæ quum « rectissimæ vitæ, ut ait  
 » S. Joannes Chrysostomus, norma sit, et conversationis op-  
 » timæ disciplina », Clericos ad eam vitæ sanctitatem adducit,  
 quam exigit Dominus dicens: *Sancti estote, quia ego sanctus*  
*sum (Exod. XI, 44).* Quapropter orationi mentali quotidie  
 vacent, et ad adorandum SS. Sacramentum in ecclesiis ubi  
 servatur sub vespere quotidie se conferant, Missæ sacrum  
 devotissime peragant Sacerdotes, ipsique quotidie maxima  
 cum reverentia adsistant Clerici omnes; imo, etsi in Sacris  
 constituti, nisi gravi impedimento detenti, quoties in ec-  
 clesiam ad Missam audiendam convenerint, inserviando ce-  
 lebranti assistant. Sacerdotes intra singulas hebdomadas,  
 Clerici in sacris Ordinibus constituti similiter, Clerici in  
 minoribus bis saltem in mense conscientiam sacramenta-  
 liter expurgent; illosque in Moderatores deligant, quos  
 scientia, pietate, terrenarum rerum contemptu, et eccle-  
 siastico zelo præstare dignoscunt. Quisque Clericus Sa-  
 cerdotio inferior degens extra Seminarium attestationem

Confessarii sui de expurgata per Exomologesim conscientia bis quotannis, incipiente Aprili et Octobri, Parocho dabit; quisque vero Sacerdos semel in anno, decurrente scilicet mense Aprili (extradiœcesani vero addant Litteras Dimissoriales) similiter Parocho exhibebit. Attestationes istas recognoscat et subscribat Parochus, aliaque similiter addita pro se de manu proprii Confessarii, labente eodem mense Aprili, ad Vicarium Foraneum mittat, qui intra quindecim dies ad Nos (quod æque fiat per Parochos urbanos et suburbanos) easdem attestationes a se denuo recognitas et subsignatas transmittere sataget.

3. Dominicis festisque diebus Sacerdotes et Clerici certæ ecclesiæ ministerio ex beneficio aut officio non addicti, in parochiali ecclesiæ ad divina officia concelebranda conveniant, maxime ad Missam solemnem, ad concionem audiendam, etiam ferialibus diebus, tempore Quadragesimæ, Exercitiorum spiritualium et Expositionis 40 horarum, ad Doctrinam Christianam fideles adultos, puerosque docendam, ad Vesperas canendas, item ad Processiones obeundas. Ad agendas vero Processiones Rogationum minorum et majorum, item in festo Corporis Christi, et quoties ob extraordinariam causam indicenda erit, omnes et singuli Sacerdotes et Clerici Regulares et Sæculares cujuscumque gradus et dignitatis extra Urbem in propria parœcia, in Urbe autem omnes urbani et suburbani in Cathedrali conveniat. Intersint quoque divinis officiis, quæ sive per octavam Corporis Christi, sive in Oratione 40 horarum, sive a feria quarta Majoris Hebdomadæ usque ad Sabbatum Sanctum in propriis ecclesiis celebrantur.

4. Quapropter talarem vestem suam propriam, itemque superpelliceum non reticulis per totum elaboratum, vitta serica ad collum tantum, uti de more, sed unici et

non rubri coloris ornatum, atque clericale biretum singuli habeant, ut rite possit quisque ecclesiasticum ministerium exercere.

5. Ad pietatem fovendam nihil utilius spiritualium Exercitiorum subsidio: hinc cunctis Sacerdotibus præcipimus intra singulum triennium semel spiritualibus ad octiduum Exercitationibus vacare, privatim saltem sub directione prudentis alicujus Moderatoris spiritus. Qui vero in præcedenti triennio eisdem Exercitiis non dederunt operam, intra annum a publicatione hujus Synodi ea perficere obligatos volumus. Qua de re ex tunc in posterum, singulo triennio, attestationes per eos qui Exercitiis vel exercitantium domo præfuerint exaratas, Nobis Sacerdotes omnes per proprium Parochum, Parochi vero per Vicarium exhibebunt. Sciant autem omnes, qui residendi lege et chori servitio tenentur, se per id temporis, quo, Nobis annuentibus, in aliqua religiosa vel pia domo huic saluberrimo instituto per decem dies operam navarint, tamquam præsentibus esse censendos (*Clem. XI, Ep. encycl. 1 Febr. 1710* — *Pius VI, 25 Decemb. 1775* ).

6. Cum eo perducti simus, ut inter christianos christiane vivere opprobrium censeatur, ignominiam Christi omni honori præferant Clerici, et ubique ac coram omnibus se Christi discipulos, imo et ministros verbis et actionibus profiteri non erubescant, ne Christus Dominus in judicio de ipsis erubescens dicat: *Nescio vos*. Imo in hoc instant totis viribus, ut hac probrosa timiditate a christianorum omnium corde depulsa, veræ pietatis ac religionis signa præferre gloriantur.

7. Virtutum omnium amore inflammari Clerici student; misericordiæ et caritatis opera exercent; mortificationis exercitia, prudentia duce, amplectantur; iracundiæ

perturbationes cohibeant; mansuetos semper, placidos et tranquillos se exhibeant, quippe, ut ait Apostolus, *servum Domini oportet mansuetum esse ad omnes (II Tim. II, 24)*; et in omni vitæ consuetudine humilitatem servant, ut propius Christum imitentur dicentem: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.*

8. Humilitati consona ac individua comes est obedientia. Quanta autem et quam sincera animi docilitate et obedientia Clericos et Sacerdotes omnes Superiores suos prosequi oporteat, non esset cur in animum revocemus iis, qui apprime sciunt apud Deum obedientiam sacrificio præferri, cum per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactetur (*S. Greg. M. L. 55 Moral. c. 12*): ast quum plurimi nostris hisce temporibus eo devenerint, ut auctoritatum omnium contemptum petulanter diffundentes, omne subjectionis vinculum disrumpant, universamque pene christianam familiam vitiis labefactent, omnes de Clero alloquentes, verba Joannis in epistola I, c. 4, de Jesu Christo ad ejus in terris Vicarium Summum Pontificem etiam referre non dubitamus. Hinc pronuntiamus in hoc cognosci spiritum veritatis et spiritum erroris, ut qui noverit Deum, et Romanum Pontificem audiat; et qui ex Deo non sit, Pontificem ipsum non audiat. Nobis autem et Successoribus Nostris cum Presbyteri omnes reverentiam et obedientiam promiserint, non dubitamus quominus utramque præstare velint; sed et Vicariis, Officialibus Nostris, et animarum Curatoribus unicuique pro debito præstandam præcipimus. Meminerint omnes insuper, etiam sæculi potestatibus, in iis quæ Cæsaris sunt, sub conscientiæ vinculo obedientiam deberi: *Non enim est potestas, docente Apostolo (Rom. XIII), nisi a Deo, quæ autem sunt, a Deo ordinate sunt. Itaque qui resistit*

*potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Memores et illius sententiæ Spiritus S. (*Prov. XV, 28.*): *Mens justii meditabitur obedientiam, eam adeo assequi studeant, ut de ipsis sicut de Romanæ Ecclesiæ fidelibus vere dicatur (Rom. XVI, 19): Vestra obedientia in omnem locum divulgata est.*

9. Quod tandem Ecclesiasticos omnes cujusvis ordinis et gradus hujusmodi esse oporteat, ut *idem sapiant, eandem caritatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes (Philip. II)*, manifestius evadit quod, non tantum dictante ratione, vis unita fortior et concordia res crescunt, discordia dilabuntur; sed certo certius quia, testante Spiritu sancto (*Prov. XVIII*), *frater qui adjuvatur a fratre quasi civitas firma.* Hac profecto Ecclesiasticorum concordia, Deo dante, boni et lætantes et firmiores facti Nobiscum adversus furentes hostes ac perfidos amicos præliabuntur prælia Domini, et fidem catholicam sartam tectamque servabunt. Hanc itaque suavissimam concordiam atque mutuam observantiam alter alteri pro necessitudinis et amicitiae gradu comiter salutando et caput aperiendo, vel pro cultu, qui debetur senioribus et gradu eminentioribus, humiliter eos reverendo, ostendi volumus. Numquam autem audeat quis alterum, etsi absentem, contemnere vel oblocutionibus deprimere, præcipue coram laicis; sciatque in eum, qui taliter deliquerit, a Nobis absque venia animadvertendum. Quod si quis alterius forte agendi rationem graviter ferat, christianæ tamen patientiæ robore munitus, alterius onera portare non detrectet; caveatque ne scandalum dissensionis inter Ecclesiasticos ob oculos laicorum erumpat: quod si tale periculum immineat, Nos fidenter adeat, ut mature illi obviamus.

10. Ad castitatem servandam omnem muniant viam, et cum sequiori sexu familiarem consuetudinem fugiant, quæ eorum innocentiae vel famæ officere possit; nec solum mali labem, sed speciem ipsam a se avertant. Extraneas mulieres, urbanitatis aut officii specie vel prætextu, etiam spiritualis institutionis, ne frequenter invisant. Cum iisdem neque concinant, neque instrumentum musicum vel levaminis gratia pulsant; ipsasque nec scribendi, nec aliam quamcumque artem, ceu politiores litteras, absque Nostra licentia, edocere præsumant. Ad hæc Sacerdotes et Clerici districte vetantur mulieres per vias deducere, se comites et asseclas illis in deambulationibus adjungere, vel in itineribus; nisi rationabilis hujus comitatus causa aliquando appareat.

11. Cum mulieribus autem cohabitare sibi nefas esse norint, nisi adhuc sub paterna potestate et apud familiam, Nobis non inhihentibus, vitam ducant; sed si propriam domum et familiam, paterna potestate subducti, habeant, ob laudabiles rationes matrem, materteram, amitam, sororem filiamve sororis cujusvis ætatis, si et ista insimul degat, apud se detinere poterunt. Cum ceteris vero mulieribus, etsi devinctis aliquo consanguineitatis vel affinitatis vinculo, quæ annum quadragesimum nondum excesserint, Clericis quibuscumque et Sacerdotibus, non nisi per expressam et scripto datam licentiam Nostram, ad annum confirmandam, cohabitare fas esto. Qui autem Clerici et Presbyteri cujusvis gradus et dignitatis famulorum piorum opera, quod peroptandum, uti nequeunt, non alias conducant ancillas quam quæ spectatæ probitatis existant, et quadragesimum saltem ætatis suæ annum expleverint, si Clerici ipsi apud se nec matrem, nec amitam, nec materteram habeant: si vero hanc vel illam habeant, sufficiet ancillam trigesimum

ætatis suæ annum attigisse; quod posthac attestazione natiuitatis proprio Vicario Foraneo probare quisque debet. Caveant autem ne iuniores vel suspectæ domum propriam frequentent.

12. Quamvis prohibendum minime arbitremur, quominus Clericos et Sacerdotes apud parentes et consanguineos suos, nisi Ecclesiæ necessitas secus postulet, vitam agant, caveant tamen ne id in detrimentum pietatis, decentiæ, aut publicæ ædificationis vertatur; quo in casu, jussibus Nostris sese alibi recipiendi illico obtemperent. Nullus vero Clericus cujuscumque gradus de urbe ad rus aut secus, vel de uno in aliud oppidum aut rus domicilium transferre, vel a diœcesi discedere præsumat, nisi obtenta a Nobis facultate per litteras sibi datas. Qui vero eadem destitutus a diœcesi abesset, aut, elapso tempore pro absentia concesso, ad hanc minime regrederetur, beneficii, vel capellanæ, vel ecclesiastici patrimonii fructibus media parte multaretur in pium usum eroganda. Cum autem Sacerdotum nostræ diœcesis pene sufficiens numerus sit pro ecclesiasticis officiis in eadem exercendis, præcipimus ut extradiecesani omnes intra duos menses litteras dimissoriales, sub pœna iudicio Nostro præfinienda per Vicarios Foraneos Nobis exhibeant, cum supplici libello pro confirmatione, quam illis tantum concessuri sumus, qui moribus et doctrina de Nobis ob animarum subsidium bene meriti sunt.

13. Quum mala pessima ex otio et ignorantia oriantur, Cleri autem decus et christifidelium bonum ex omnigena et maxime sacra Ecclesiasticorum doctrina indubitanter promanet, quemadmodum Sacræ Scripturæ oracula, Concilia, et SS. Patres sæpius testantur; capropter ecclesiasticis scientiis operam assiduam navare præcipimus Clericis et

Presbyteris omnibus: in bonarum autem artium ac ceterarum scientiarum studia pro commodo et ingenii viribus incumbere hortamur. Sacerdotales congregationes sive urbanas, sive foraneas, nec non conventus mensiles et hebdomadales, si in parœcia habeantur, frequentare ne cessent Presbyteri, etiam non Confessarii et Clerici extra Seminarium degentes sacrisque disciplinis addicti. Electa librorum suppellectile instructi sint, unde sanam doctrinam haurire valeant lectione et studio quotidiano; sed præsertim habeant Bibliam sacram, Concilium Tridentinum, et Catechismum Romanum, nonnullos præterea Theologiæ Dogmaticæ et Moralis insigniores, probatioresque scriptores, quibus addant aliqua rite decerpta ex asceticis opera. Commendamus itaque SS. Episcoporum Salesii et Alphonsi de Ligorio opuscula, item de Imitatione Christi, vel alia illorum præsertim auctorum volumina, quos catholica Ecclesia sanctitatis laude donavit. Præstat etiam Juris canonici et ecclesiasticæ Historiæ expositorem aliquem, qui tamen sanis imbutus sit doctrinis, in promptu habere.

14. Viros ecclesiasticos diœcesis nostræ in virtute sanctæ obedientiæ et, præter pœnas canonicas incurrendas, sub interminatione districtissimi iudicii Dei rejicere omnino jubemus libros omnes ab Apostolica Sede, vel a Nobis prohibitos (nisi ab eadem S. Sede licentiam per Nos recognitam obtinuerint), atque ceteros etiam dimittere, qui, sub amenæ elegantiæ velamine, falsitatem undique redolent, vel inhonesta insinuant, nisi aliud necessitas suadeat.

15. Cum plurimi facienda sit peritia Clericorum in sacra Liturgia, quæ formam cultus externi in Ecclesia catholica instituti aptissime refert, quæque ad fidei dogmata veluti ob oculos ponenda, et ad morum religionisque præcepta sensim in animum Christi fidelium insinuanda non



parum juvat: hinc volumus Presbyteros omnes apud se habere Rituale Romanum, cui addere saltem unum compendiosum rerum liturgicarum Scriptorem magis commendatum hortamur. Nullus autem Sacerdotum obliviscatur, absque culpa ignorari non posse ea, quæ de Liturgia sacra in Missali Romano præcipiuntur.

16. Domino Jesu, qui parvulos sibi propinquantes peramanter amplectebatur, illosque scandalizantes asperrimis minis deterrebat, suscipientes vero summis laudibus commendabat, pergratam servitutum se exhibituros certo cum noverint Clerici et Sacerdotes omnes, ubique oppidorum vel erectis vel erigendis festivis Oratoriis vespertinis ad educationem et custodiam puerorum et adolescentum sub Parochorum directione, quos primos ad hoc saluberrimum opus manum admoveere enixe hortamur, impensius incumbere studeant; ut quod seminaverint in humilitate, in exaltatione æternæ gloriæ metant.

17. Nullus de Clero, nisi facultate a Nobis scripto impetrata, nec intra diœcesim, nec extra quodvis laicale officium, etiam civile aut scholasticum suscipiat et exerceat, neque societatibus etiam litterariis nomen det. Nulli insuper Clericorum concedemus facultatem se cooptandi inter familiares apud honestam alioquin ac sensibus veræ pietatis imbutam familiam, ut Capellani, Pedagogi sive Præceptoris officio fungatur, quin antea condiciones omnes et pacta quælibet, etsi minutiora, Nos ipsi adprobaverimus.

18. Quotquot ecclesiasticæ militiæ adscripti sunt, quocumque gradu et dignitate præfulgeant, nedum in sacris omnibus functionibus, sed et extra ecclesiam per urbem et in frequentioribus oppidis vestem talarem jugiter deferant, quæ a summo ad inum globulis sit cuncta: ruri tamen in parte renibus inferiore disjunctam, sed cingulo

decenti colligatam toleramus. Verum itineris gratia breviorē nigri coloris vestem, sed quæ ad media crura descendat permittimus; itemque extra casus itineris in pagis minoribus tantum post meridiem vel in mane saltem postquam omnia ecclesiæ officia fuerint peracta, atque diebus tantum ferialibus; nunquam tamen in clericali quovis exercitio, neque in obeundo munere institutoris aut moderatoris in scholis quibuscumque, etiam laicorum. Collare ex tela subtili non serica, cærulei coloris, juxta consuetudinem, ex vestibus promineat; cujus loco sudariolum aut fasciolam, etsi nigri coloris, nisi ob infirmitatem, adhiberi omnino vetamus. Calcei sint modesti, non saltantium forma. Ne super caligas induantur tibialia ex corio neque ex panno, nisi in hyeme ob intemperiem extra urbem, vel itineris causa, non tamen in ecclesia in administratione Sacramentorum, vel in ministerio ad altare. Galerum a præscripta et triangulari forma diversum, sicuti et biretum alium a solito more Ecclesiæ, vel alium ab illo, vulgo, dicto *calotta* (quæ nigri sit coloris et absque ullo ornatu) Clericis omnibus interdiciamus tam domi quam extra, etiam in itinere.

19. Cum autem mos inoleverit apud quosdam deferendi vestes aliquas aut pallia non nigri coloris, sive exiguum toracem (vulgo *gilet*) sericum, cordulas cum floccis vel absque ad ornatum circa collum aut brachia aut pectus, sive catenulas ad horologium sustentandum patentem, vel alia hujusmodi sæcularem levitatem spirantia; sive annulos ad aures aut ad digitos, cum nullo jure vel privilegio gaudeant; hæc omnia omnino Clericis et Sacerdotibus quibuscumque districte vetamus: « omne quippe (ut habetur » in Concilio II Ephesino) quod propter venustatem accipitur, elationis habet calumniam, quemadmodum magnus » ait Basilius ». Porro dum a nimia elegantia Clericos

abstinere mandamus, a sordibus etiam et ab illiberali negligentia cavere præcipimus, ne clericalis status contemptui et ludibrio habeatur a laicis.

20. Omnes et singuli Ecclesiastici nostri, qui a S. Sede privilegium deferendi peculiaria insignia obtinuerint, antequam iis utantur, Breve Pontificium Nobis exhibeant; ut quid contineat et quo se extendat fiat Nobis compertum.

21. Clericalem Tonsuram cuique ordini congruam et patentem exhibeant: comam ne enutrient, neque discriminent capillos supra frontem, aut nimis longos vel nimis breves deferant laicorum more, sed modeste compositos habeant, nulloque unguento ad beneolendum linitos; et rem nullam aromatum odores circa seipsos exhalantem teneant.

22. Arma nulla deferant, etsi ex potestatis civilis permissu, ne quidem ad venationem non clamorosam, nisi peculiarem licentiam a Nobis impetraverint.

23. Choreas sive publicas sive privatas, spectacula et ludos scenicos cujusvis speciei (exceptis qui ad alumnorum exercitium exhibentur in collegiis Religiosorum) ne quidem spectare audeant tum in diœcesi, tum extra, nec ea in propriis ædibus fieri permittant, quamvis propinquorum laicorum nomine agerentur, secus pœna suspensionis plectentur (*Trid. Sess. XXII de Reform. c. 1*). Absit quoque ut in plateis publicisque locis immorentur otiosi, vel ad conspiciendos mimos, lusores, eorumve cantus audiendos (*Cap. Clerici XV De vita et honestate Cleric.*). Has leges districtissime jubemus Clericos et Sacerdotes nostros observare. A licitis etiam ludis quibuscumque abstineant in publicis plateis ac viis: at quoties animos relaxare honestis solatiis voluerint, in locis clausis, temperantia ac modestia servata, id faciant.

24. Vetitum esto omnibus de Clero nostro ad cauponas, atque ad officinas liquorum seu potionum (vulgo *caffè, bottiglierie*), nisi brevi admodum, seorsum ab hominum et maxime mulierum frequentia, ac justa de causa; non autem otii, oblectamenti vel cujusvis joci ratione, vel ephemerides perlegendi causa divertere (*Ibid.*). Comestiones autem devitent et præcipue laicorum lautiora convivia. Sobrietatem ac temperantiam tam in propria quam in aliena domo religiose servant: ab excessu vini præcipue temperantes sint, quos enim in hoc capite peccare dignoverimus, etiam pœnis adhibitis, ad emendationem cogemus.

25. Caveant quoque a quocumque luxu suppellectilium et a nimio domorum ornatu, qui sæculi pompam, animique levitatem potiusquam ecclesiasticam gravitatem et simplicitatem redolet.

26. A laicorum consuetudine abstineant; quammaxime si irreligionis vel inhonestatis menda notentur; sed cum piis ac doctioribus Cleri viris, a quibus pietatis et doctrinæ documenta haurire possunt, assidue versentur. Caveant insuper ne eos celebrent cœtus, iisve se immisceant hominum conventibus, ubi, etsi graviora desint crimina, præciosum tempus haud raro insipientibus absonisque eloquiis teritur.

27. Nullam mercaturam, negotiationem artemve lucrosam per se, vel per procuratores exercere et vel tantum cum exercentibus societatem lucri, etiam occulto, habere viri ecclesiastici audeant, nedum ad vitandas pœnas jure definitas (*Cap. XVI De vita et honest. Cleric.: Cap. I. Ne Clerici vel Monachi: Conc. Trid. Sess. XXIV De Reform. c. 1: Bened. XIV. Constit. Apostolicæ 25 Febr. 1744: Clem. XIII Encycl. Cum primum 17 Septemb. 1759*), sed etiam ad

effugiendum districtissimum divinum iudicium: nemo enim militans Deo implicare se potest negotiis sæcularibus, quin muneribus militiæ, cui se probavit, deficiat (*II. Timoth. II.*), et quasi transfuga, cum gravi fidelium scandalo, fiat. Eapropter Ecclesiastici nec cujuscumque prædia annua pensione conducant vel cum conductoribus societatem ineant, nec aliena negotia procuratoris officio agant, neque per mercatus, nundinas, apothecas vendentium aut ementium discurrant vel immorentur. Prædia tantum patrimonialia, sive beneficiaria vel honeste sibi acquisita licet curare ut rite excolantur, absque detrimento tamen et periculo sacerdotalis officii, gravitatis, studii sacrarum Litterarum, ac præsertim pietatis et orationis debitæ.

28. Quod autem in Synodo Laudensi VII de arte mendendi, de causis coram iudicibus laicis agitandis, de aliorum, etsi proximæ consanguineitatis vinculo conjuncti sint, cura vel tutela pupillorum quoque suscipienda, de fide jubenda pro aliis, ne id a Clericis quibuscumque fiat, nisi ex Nostra expressa licentia, apprime cautum est; sub pœnis ibi interminatis hic confirmamus et ad unguem servari jubemus.

29. Nemo Ecclesiasticorum noctu exeat nec vagetur per vias tam in urbe, quam in oppidis aut villis. Si vero exeundi necessitas cogit (*Syn. Laud. VII, Cap. 16*), non sine habitu clericali, et in civitate ne quidem sine veste talari quis incedat: sciatque in trasgressores, cujusque sint gradus, graviter Nos animadversuros.

30. Hoc autem a Vicariis Foraneis atque a Parochis omnibus postulamus, eorum conscientiam onerantes, ut sua quisque regione aut parœcia decreta hæc de vita et honestate Clericorum, ac cetera a sacris Canonibus constituta, fideliter religioseque ab omnibus servari curent, et

graviter in ea delinquentes denunciare non differant. Omnes vero Parochi singulis annis intra octiduum post quindenam Paschalem statum Cleri Vicario Foraneo propriæ regionis accuratissime transmittant,\* qui eam Nobis in Congregatione exhibebit. Nos vero nihil vigilantia ac sollicitudinis, nihil industria ac laboris prætermitemus, quo ecclesiasticam disciplinam integram atque incorruptam custodiamus, et a venerabili nostræ diœcesis Clero ea omnia amoliamur, quæ ecclesiastici ordinis sanctitati ac dignitati adversantur; ne qui reprehendere volunt, jure criminari valeant; aut qui imitari, cogantur delinquere.



\* Status Cleri specimen habetur in hinc Appendicis VI.

## CAPUT. XVII.

### DE CAPITULO CATHEDRALIS

1. Ut quantum per Nos fieri potest ad majorem divini cultus nitorem, populi ædificationem, Clerique decorem prospiciamus, quædam de Canonicis edicimus, quin tamen consuetudinibus laudabilibus et peculiaribus privilegiis, si quæ sint, auctoritate Apostolica concessis, vel Ordinaria admissis, et per Tridentinum, vel Pontificias constitutiones non derogatis, præjudicium quodvis inferre velimus.

2. Cum Canonicatus in Ecclesia instituendi ratio hæc fuerit ut, qui ad eos assumuntur, Episcopo assistant, eumque in muneris sui functione consilio et opere adjuvent, et in divinis Officiis celebrandis Ecclesiæ deserviant (*Card. Polo in artic. reform. Eccl. Angl.*); quammaxime præstat viris pietate, sapientia, prudentia eminentioribus Capitulum conflari, ut merito Ecclesiæ senatus dici possit (*Trid. sess. XXIV, c. 12*); tamesti ubi a Tridentina Synodo, aut Provincialibus Conciliis constitutum est de Capituli Clerique consilio aliquid agendum esse, ex hoc non imponatur Episcopo obsequendi necessitas, nisi in iis de quibus id speciatim in Jure cautum est.

3. Quia vero in primis pietas ad omnia utilis est, et si cuique de populo, potiori merito sublimioribus de Clero ab Apostolo mandatur, ut *unusquisque proximo suo placeat in bonum ad ædificationem* (*Rom. XV, 2*), hinc monitionem Clémentis Papæ XI Canonicis in memoriam

revocare, imo de verbo ad verbum hic referre, ut ad effectum traducere nitantur, optimum ducimus. Sic igitur felicis memoriæ Pontificis jussa cuidam Episcopo edicebantur: “ Jubet Sanctitas Sua ut plurimum commendes Canonicis, Beneficiariis, Mansionariis, Capellanis, Clericis, aliisque choro inservientibus tum in ipsa Cathedrali, tum in Collegiatis tuæ diœcesis, commendes, inquam, onus quod illis præscribitur dum in chorum conveniunt, nempe ut modestiam et silentium decenter in eo loco præferant, quemadmodum illos decet maxime, qui ante conspectum Majestatis divinæ versantur; ut psallant magno pietatis studio, vocibus apte comparatis, haud festinanter, nullique præcis vocabulis, ita ut pars chori haud canere incipiat, cum pars altera cantum nondum absolvit; ut hac ratione populus intelligat divinas laudes, et ad pietatem ac religionem ex ipsorum cantu moveatur ”.

4. Canonici non ultra tertiam partem eodem tempore absint a choro, neque vacationum indultum sibi assumant tempore Quadragesimæ, Adventus et in solemnioribus anni festis.

5. In omni ingressu atque egressu chori modeste, bini, clerico deferente Crucem hastilem Capituli præcedente, incedant; in choro autem divinum Officium distincte, et devote canant, vel de more recitent, neque de choro exeant nisi dato prius signo a chori Præfecto vel Digniore (*Conc. Prov. I., Quando et quomodo ad divina officia, etc.*).

6. Concedimus ut diebus festis, dum in choro recitatur Matutinum, unus tantum ex Canonicis exeat ad celebrandam Missam pro commoditate populi: si alter eodem tempore exeat ob eandem causam, habeatur pro absente.

7. In sacrario canonicali prostet tabella onerum Missarum, Anniversariorum et cujusvis suffragii ex obligatione;



item prostet et liber in quo diutin singulorum onerum adimplementum adnotetur.

8. Curent Canonici ne exeant de choro plures quam duo eodem tempore: si autem quis sæpe sæpius exeat, a Digniore de Capitulo conveniatur, ut causam dicat; quæ si insufficiens sit, punctandus est. Etenim nec totum Capitulum per consuetudinem potest concedere quod absens lucretur distributiones quotidianas, ut censuit Rota Rom. recentior Decis. 64, n. 3, p. 4. (*Videatur etiam Trid. sess. XXIV, cap. 12; Barbosa de Canonic. c. 22, n. 22*).

9. Canonici quamvis pauci sint, puta duo vel tres, tenentur canere sive recitare de more Officium in choro. (*S. C. Conc. in Nullius Orbitelli 31 Martii 1696*).

10. In qualibet Ecclesia Collegiata singulis diebus Missa conventualis in cantu celebretur, nec unquam hæc duæ Missæ omittantur, altera de festo, et altera de feria juxta Rubricarum præscriptum, etiamsi occurrat anniversarium cum Missa *De requiem*. Dum istæ Missæ celebrantur, Horas canonicas chorus non recitet; Rubrica quippe, præceptivis vocibus usa, binas actiones illas per se distinctas, adeoque successive exequendas, simul confundi aperte vetat.

11. Hæc quæ salubriter de Canonicis et de Capitulis in Synodo Laudensi VII sancita fuere, paucissimis omissis vel adjectis, hic de verbo ad verbum referimus, et observari jubemus.

a) " In nostra Cathedrali duo Punctatores habeantur, quorum unus a Capitulo, alter sit a Nobis electus, et ambo jurent in Synodo Diœcesana. Extra Synodum autem primus in Capitulo, secundus in manibus Nostris initio officii, se in munere suo obeundo fidem, ac diligentiam præstituros ".

b) « Choralis disciplinae observantia ex Punctatoris et Praefecti chori diligentia plurimum dependet; eos propterea in Domino monemus, ne vel odio, vel amore, aut spe, aut metu alterius moveantur, sed tantummodo Dei cultum et gloriam praec oculis habentes, munus suum diligenter exequi curent, distributionibus praesertim mulctando mulctandos. Si vero in suo munere obeundo negligentes fuerint, Nos in eos animadvertere teneri sciant ».

c) « Dominicis et Festis solemnibus diebus semper, Quadragesimae autem, et Adventus tempore quam saepissime verbi Dei conciones in propria ecclesia audiant; ut ipsorum exemplo laici etiam ad illas audiendas studiosius confluant ».

d) « — Quatuor vicibus saltem in quolibet anno, idest mensibus Januarii, Aprilis, Julii et Octobris — per horae dimidium Canonici capitulum spirituale habeant, in quo agatur de chori defectibus, nec non de vivendi ratione Ecclesiasticorum, legaturque pars aliqua earum rerum, quae de vita et honestate Clericorum hac Nostra, et superioribus Synodis sancita sunt, vel alicujus libri a Capituli Praefecto delecti, de ecclesiastica perfectione tractantis ».

e) « In eo tandem Capitulo nihil prorsus agatur, quod ad temporalium prius, quam ad spiritualium rerum curam spectaverit: caveantque omnes tam initio, quam illius progressu ne disparatis, inutilibusque sermonibus quidquam temporis terant ».

f) « Ut facilius canonicaem disciplinam tueri possimus, saltem saepe in anno canonicali Capitulo interesse studebimus ».

g) « Cum de rebus temporalibus in Capitulo deliberandum est, in uno proponantur, discutiantur in sequenti, et quidem per suffragia secreta. Excipimus tamen casus

improvisos et non patientes moram, in quibus integrum sit — Digniori — brevioris temporis spatio illud convocare, modo unicuique de Capitulo, qui non adsit, nunciari rem jubeat, de qua deliberandum et consultandum sit ».

k) « Canonici ad Capitulum vocati accedant omnes, neque cuiquam, illo per — Digniorem — non dimisso, ante discedere liceat, nisi ex causa Digniori probata, missioneque ab eodem impetrata ».

i) « Sine clamoribus quilibet ordine suo sententiam et votum proferat ». — Confidimus neminem in his defecturum esse.

12. Acta singulorum Capitulorum a Cancellario in prædisposito libro describantur, Nobisque, si jusserimus, perlegenda tradantur et adprobanda.

13. Diligens autem cura adhibeatur ne cujusvis generis monumenta, scriptave ad Ecclesiam vel Capitulum pertinentia pereant: quæ propterea in indicem reducantur, ejusque indicis exemplum intra anni spatium ad Curiam Nostram Episcopalem mittatur.

14. Lectioni Scripturæ sacræ, quæ haberi debet per Canonicum Theologum, ceteri intersint Canonici, re quidem vera pars est eorum muneris (*Sacr. Cong. in Fundana 15 Octob. 1519: Card. Petra in Const. I. S. Leonis M. sect. 2.<sup>a</sup>, n. 55, tom. I.*).

15. Ad sacerdotales autem de re morali ac liturgica Conventus tenentur quoque Canonici accedere, non obstante quacumque consuetudine in contrarium; proindeque in Domino eos exhortamur, ut in iisdem tam proficuis Congregationibus ad aliorum præcipue ædificationem ipsi non desiderentur (*S. C. Concilii Rescriptum datum Romæ sub die 31 Julii 1852 in Respons. ad Relat. Status hujus Diocesis*).

16. Ne fraudulentur fideles, qui e tota diœcesi ad Cathedralē confluunt ad prudentiora spiritualia consilia excipiēda, et ad Sacramenta commodius percipiēda, præstat omnino ut Canonici omnes, etsi curæ animarum officio non adstricti, hisce divini ministerii muneribus in administratione Eucharistiæ et Pœnitentiæ assidui sint.

17. Capellanos chori, qui Canonicis Cathedralis in sacræ Liturgiæ officiis operam auxiliarem præstant, et licet non sint proprie de Capitulo, eidem tamen ita additi et connexi sunt, ut veluti naturale quoddam complementum habeantur, hortamur vehementer ut Canonicos revereantur, Collegas honore præveniant ac, nimia familiaritate vitata, cum utrisque perpetuam concordiam et unanimitatem servent. Caveant ne tempus inutilibus colloquiis in sacrario Cathedralis terant; ast ibi ne morentur, nisi ob necessitatem: submissa voce, si oporteat, loquantur, secus aliquid ex libro de spiritualibus tractante legant: demum ea omnia præsent, quæ ad splendorem cultus divini et fidelium ædificationem conferunt (*Prov. I. De Off. Magistri chori et Cærem. — Prov. V. Quæ ad div. Off. pert. circa finem*).

18. Tenentur Capellani, etiam juris patronatus laicalis, excepto sacrarum cæremoniarum Magistro et Præcentore, inservire pro Diacono et Subdiacono in Missa solemnī quando opus fuerit. Usque dum tamen in Venerando Seminario aderunt Clerici Majoribus Ordinibus insigniti, isti ad hoc officium obeundum præsti erunt juxta mentem sacri Concilii Tridentini.

19. Capellani Chorales, tam patronales quam regii, tam in choro quam in aliis functionibus, juxta temporis, quo electi fuerint, ordinem, primas habebunt, exceptis tamen sacrarum cæremoniarum Magistro atque Præcentore, qui semper præeminentia fruentur.

20. Præfecti chori solertissima cura sit ut, quemadmodum per Concilia Provincialia sancitum est, tabellæ disciplinarum, erratorum, et horarum ac personarum pro divinis Officiis obeundis prostent tum in sacrario, tum in choro, ita ut silentium servetur, ac nemo, qui absque aliqua legitima causa defecerit, ignorantiam adfectare queat.

21. Dignitatis suæ et institutionis memores Cathedralis Nostræ Canonici, quæcumque ad vitam et honestatem Clericorum pertinent, ac cetera quæ ad ipsos in hac Synodo, aliisque ecclesiasticis constitutionibus attinentia habentur, accuratissime servent. Hoc imo præ ceteris de Clero eos perfecturos esse Nobis ipsi pollicemur, ut quos omnes in amplissimum Patrum cætum cooptatos, Fratres Nostros, singulari animi studio prosequimur, eosdem sanctitate, gravitate, doctrina et prudentia fulgentes cum ad universæ diœcesis ædificationem, tum ad eam regendam auxilium consilio et opere Nobis conferant.



## CAPUT XVIII

## DE PAROCHIS

1. Parochos in partem sollicitudinis Nostræ ad procurandam salutem animarum, quas Christus Dominus acquisivit sanguine suo, peculiari ratione vocatos enixe adprecamur et obtestamur in Domino ut, abdicatis hujus sæculi curis, artem artium exercere sic contendant, ut nec frigus, nec æstum, nec vigiliis, nec tribulationes, nec angustias, nec famem, nec nuditatem, nec periculum, nec persecutionem, nec gladium metuant, sed et animam suam dare pro ovibus suis semper parati, sic eas custodiant, ut cum apparuerit *Princeps pastorum, percipiant immarcescibilem gloriæ coronam (I Petri 5)*.

2. In primis ergo caveant omnino Parochi, ne dominari affectent, jura non competentia sibi arrogent, sæcularem pompam in semetipsis vel domus suæ cultu sectentur, affectatam gravitatem præseferant, parochianis vix aditum domus parœcialis concedant, divitibus se jungant, pauperes vilesque despiciant, alloqui illos vix dignentur; sed ea mansuetudine ac modestia se præditos exhibeant qua, non ut *dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo (Ibid)*, fidelibus sibi concreditis vere dicere possint cum Paulo Apostolo: *Nos autem servos vestros per Jesum (II Cor. IV)*.

3. « Inter cetera, ait Laudensis nostra Synodus septima » (*De Paroch.*), quæ jurejurando a Parochis promittuntur

» ex Decreto cum Tridentini Concilii (*Sess. VI et XXIII,*  
» *c. 1 De reform.*), tum Provincialis tertii (*Tit. De Paroch.*)  
» est residentia in ecclesia parochiali quam obtinuerint ».  
In isto igitur capite renovamus quæ in præfata Synodo  
districte præcepta fuere, ita ut nec paucitate incolarum,  
nec cæli inclementia, nec redituum tenuitate residentiae  
vinculis minus costringi aut liberari autument, vel fas sibi  
esse certas quotannis ferias proprio arbitratu sibi adjudicare.  
Hac lege nequaquam solutos declaramus quoscumque  
Curatores animarum, etiamsi sive suis, sive alienis  
expensis cooperatores in curam animarum agendam Sa-  
cerdotes plures habeant a Nobis adprobatos. Nullus itaque  
Parochorum absque licentia scripto impetrata a Nobis vel  
a Vicario Nostro Generali ultra hebdomadam abesse præ-  
sumat (*Conc. Prov. I, De admin. sacr. Pœnitentiæ. —*  
*S. Congr. Conc. die 7 Octob. 1604*): quod si ex justa et  
rationabili causa aliquis Parochorum aliquando abfuerit a  
sua parœcia, exceptis tamen diebus dominicis vel festis  
de præcepto, idoneum Presbyterum sibi substituat. Nemo  
denique animarum Curator licitum sibi censeat vel uno  
dominico aut festo die de præcepto a parœcia sua abesse,  
nisi ante discessum licentiam scriptam habuerit a Vicario  
Foraneo; eo tantum casu excepto, quo proximiori Parocho  
vices redditurus in istius parœciam, particularis festivi-  
tatis causa, se conferre debeat: quod munus tamen prius-  
quam præstet, Confessiones excipiat, atque idoneum Pre-  
sbyterum sibi sufficiat. Licentia vero apud Nos valida erit  
tantum quum causæ discessus mentionem expresse fecerit  
et adprobationem Presbyteri, cui munia Parochi commissa  
fuerint, nominatim insertam habuerit.

4. Quod si urgens et inopinata neque moram patiens  
causa abeundi atque commorandi extra parœciam ultra

præfinitum tempus aliquando exurgat, quamprimum etsi ex dissito loco Parochus per epistolam Nos certiores faciat de causa discessus sui, de loco ubi degit vel consistere intendit, de tempore absentiae, et de Presbytero quem suis vicibus gerendis in parœcia subrogaverit. Rectores denique animarum obtestamur in Domino, ut sanctas residentiae leges fideliter custodiant, ne Nos compellant statutas in jure pœnas ab eis exigere, si contra Canones peccaverint. Præcipimus autem Parochos, qui alias parœcias quam suburbanas regunt, raro urbem petere, sabbati præsertim die.

5. Sacerdotibus omnibus in diœcesi, qui quocumque titulo Parochis in cura animarum coadjuvare tenentur, residentiam præcipimus: ita ut non liceat eisdem festis et etiam profestis diebus a parœcia, cui addicti sunt, abesse nisi rarius in anno, et ex licentia Parochi. Si quis istorum, Parocho rationabiliter contradicente, ausus fuerit sæpe vel longius a parœcia discedere, facultate ministrandi in cura animarum destituetur. Volumus quoque ut, cura Parochorum, ædes tum hisce Presbyteris, cum Parochis pro habitatione adsignatæ vel adsignandæ, a domiciliis colonorum, sive, ut ajunt, inquilinorum, pariete separentur (*D. Carol. Borrom. Act. p. II, Monit. executionis decretor. quæ ad Paroch. pertin.*); nec januas habeant per quas ad domos laicorum accessus pateat.

6. Cum ea quæ præcipitur Curatoribus animarum residentia laboriosa, non otiosa, esse oporteat, utpote quæ ad pastoralia munia rite obeunda insumi omnino debeat; eapropter interest quammaxime Parochos ad normam Pastoris Evangelici se ita gerere, ut gregi solerter advigilando, proprias oves undequaque agnoscant, adeo ut eas nominatim vocare possint, et singulis pro necessitate pabulum, pro infirmitate remedium ministrent. Hoc profecto officium



per seipsoſ, quantum fieri poteſt, Parochi præſtare tenentur. Hinc volumus ipſoſ in conficiendis ſcripto ſingulis annis animarum cenſibus perſonaliter ad ſingulas parœciæ familias accedere una cum Presbytero Coadjutore. Quod ſi parœcia numeroſior ſit, ſatis erit ſi Parochuſ id operiſ cum Coadjutoribus quotanniſ ita alternatim dividat, ut brevi annorum circulo in hoc opere parœciam univerſam peragret. Curet tamen cenſum animarum quotanniſ compleri ſaltem non tardiuſ die decimaquinta Januarii.

7. Nulluſ dubitat, docente Apoſtolo (*Hebr. V*), et Tridentina Synodo præcipiente (*Sess. XXIII, c. 1 De reform.*), quin animarum Curatoribus divinituſ mandatuſ ſit pro ovibus ſibi commiſſiſ Sacrificiuſ offerre. Hinc Synoduſ Laudenſiſ VII inſiſtens Conſtitutioni Benedicti XIV *Cum ſemper* diei 19 Aug. 1744, Parochiſ præcipiebat: „ Miſſam „ ſinguliſ diebuſ feſtiſ applicent pro ovibuſ ſuiſ, et eaſ in „ ſchedula, vulgo *vacchetta*, quæ publice in ſacrario, ſive „ ſagriſtia, ſervari debet, deſcribant, ut Noſ, quotieſ juſſerimus, et Vicarioſ Foraneoſ de hujuſ oneriſ adimplemento „ facile certioſ reddant „. Hoc præceptuſ totieſ jam dudum per decreta S. Congregationiſ Concilii ab anno 1715 et deincepſ renovatuſ, nedum diſtrictè ſervari, ſed iſ quoque diebuſ extendi volumuſ, qui modo e feſtorum numero expuncti ſunt, quique quotanniſ in Kalendario diœceſiſ adnotabuntur: id enim Curatoribuſ animarum præceptuſ eſſe, liquido declaravit, epiſtola anno 1852 ad Noſ data, eadem S. Congregatio.

8. Sicuti autem præſtat ut fideleſ cujuſque parœciæ illi Sacrificio, quod pro iſ a Paſtore diebuſ feſtiſ offertur, promptiori animo præcipue aſſiſtant, ideo horam pro Miſſa parochiali, quam et grandem vocant, celebranda ad commoditateſ populi eligant Parochi, quam pro diverſiſ anni

temporibus adsignare, atque per scriptum patenti loco expositum indicare, et indesinenter servare curabunt, nulla habita ratione precum vel minarum cujuscumque personæ. Idipsum per Parochos fieri volumus quo ad horas Missarum, quæ in unaquaque ecclesia vel oratorio publico diebus festis celebrandæ erunt per Presbyteros, qui quocumque titulo Parochis in cura animarum coadjuvare tenentur, nisi in fundatione Tituli, Legati, etc., aliter expresse statutum fuerit.

9. Occasione Missæ in aurora celebrandæ juxta Decretum Cap. IX, § 2, n. 22, ea quæ de oratione mentali in Synodo nostra VII (*Cap. De Parochis*) commendantur, ad effectum deducere Parochi curabunt, nihili facientes adversariorum impedimenta; brevitatem tamen ita servent, ut pro oratione et Missa nunquam excedant quadraginta quinque minorum spatium. Hoc idem quo ad tempus servetur in explicatione Evangelii, quam per Parochos vel Adjuutores illorum haberi peroptamus intra Missam in aurora celebrandam quocumque die dominico, etiamsi alia Evangelii explanatio hora tardiori haberi debeat in ecclesiis parochialibus oppidorum trium millium circiter animarum numerum excedentium.

10. Quilibet animarum Curator sane meditabitur illud Apostoli (*I Cor. IX, 16*): *Si evangelizavero non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit.* Curent propterea parochiarum Rectores ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios ex iis quæ in Missa leguntur aliquid exponant, atque inter cetera sanctissimi hujus Sacrificii mysterium aliquod exponant (*Trid. Sess. XXII De Sacr. Missæ c. 8*). In isto igitur capite quæ de prædicatione verbi Dei per animarum Curatores assidue habenda Synodus VII, Tridentini et Provincialium Conciliorum

vestigii insistens (*Trid. Sess. V De reform. c. 2. — Prov. I De Prædicat. verbi Dei passim*), sanciebat, Nos et confirmare et iterum jussum esse sub pœnis ibi interminatis efficacissime volumus, ea adjecta lege, quod si interdum, rarius tamen, a festiva explanatione S. Evangelii abstinere debeant, sibi ipsis legitime impeditis non quemcumque Presbyterum, sed vel quem habent Coadjutorem in cura animarum, vel Sacerdotem ad habendas conciones per Nos adprobatum sufficienti.

11. Memoranda ducimus ea quæ in Concilio Provinciali IV præcipiuntur hisce verbis: « Ne Parochi, Sacerdotes vel alii intra Missarum solemnities quidquam, quod prophanum sit, quodque ad rerum ejusmodi enunciationem attinet, de altari populo pronuncient aut evulgent (*Prov. IV, tit. De Prædic. verbi Dei*) ». Hinc est quod in posterum districte prohibemus, quominus intra Missam quidquam edicatur, nisi quod hac Synodo promulgari præcipitur, vel quæ jussu sanctæ Apostolicæ Sedis, aut Nostro privative mandatum fuerit. Caveant itaque Parochi a violanda hac lege synodali, sciantque quæcumque monita, etiam bonum comune respicientia, fieri debere populo præsentem in ecclesia sive ante, sive post Missam a loco emittenti, sed non ab altari, neque a suggestu.

12. Parvulis, adolescentibus, rudibusque hominibus scientia Dei salutisque animæ propriæ totis viribus et profusa caritate imbuendis assidue incumbunt animarum Curatores. Eos igitur exhortamur, qui præsentem parœciis in quibus sint animarum plusquam termillia, ut Scholam Doctrinæ Cristianæ certo hebdomadæ non festo die habendam instituant ad commodum famulorum, filiorum familias, opificum, qui diebus festis ad Scholam ipsam accedere nequeunt. Hoc hodieum magni momenti caritatis officium

Presbyteros Clericosque omnes totis viribus implere, Parochorum nutu, diligentissime curent; quod et præstabunt pro piis exercitiis et sermonibus habendis mense Maji in honorem B. M. V.: Parochos enim vehementer hortamur, ut in suis ecclesiis promovere quammaxime studeant Deiparæ Virginis cultum, qui eo temporis speciali ratione eidem persolvi ubivis fere solet, et ex quo magnos animarum fructus percepisse plurimi tum Parochi, tum Sacerdotes testes locupletes sunt.

13. Attente considerent Parochi hæc quæ de administratione Sacramentorum D. Carolus Borromæus in instructionibus suis generalibus Clero indigitabat. « Quacumque » diei aut noctis hora Parochus ad Sacramenta ministranda » vocabitur, nullam tam sanctis pietatis officiis moram interponet. Imo populum sæpe numero, prout occasio tulerit, accurate præmonebit, ut cum opus est parochiali » ministratione atque officio, se quamprimum et libere accersat, nulla habita nec temporis, neque loci longe distantis, neque alterius cujuscumque incommodi ratione. » Cum autem accersetur, tantum abest quod verbis, vel » vultu, vel alio signo ostendat se gravate iturum, ut illius, cui ministrare debet, salutis desiderio se accensum » patrem præbens, verborum benignitate, vultuque hilari » caritatem paternam significante, et libentissime, et, ut » potest, celerrime accedat ».

14. Quamvis unum vel plures Presbyteros in adjutorium per Nos sibi concessos Coadjutorum nomine Parochi habeant, non ideo tamen a Sacramentorum administratione abstineant vel supersedeant quacumque de causa, nisi interdum ex necessitate et pro casu; tenentur enim non per vicarios, sed per seipsos animarum, saluti et Ecclesiæ bono deservire. Contrarias consuetudines quascumque in hoc

capite tamquam corruptelas reprobamus, sublatasque volumus. Coadjutores vero in omnibus, quibus vacare sibi impossibile non sit, Parochorum jussui ita præsti sint, utpote qui sanctæ eximiæque obedientiæ merita sibi comparare satagant.

15. Jubemus insuper Parochos ipsos diebus saltem festivitatum Titularium, vel Consecrationis suæ ecclesiæ et Congregationum Foranearum, itemque Officiorum solemnium pro defunctis, nec non occasione Exercitiorum spiritualium et Orationis 40 horarum in suis ecclesiis Confessarios pios et doctos ex aliis parœciis tamquam extraordinarios accersere ad audiendas Confessiones, præmonito de hac re populo in antecedenti festo, hortatoque ut tanto commodo utatur. Monemus autem atque hortamur Parochos ecclesiarum in quibus eæ functiones habentur, ne ipsi iis diebus ad audiendas Confessiones se exponant. Hortamur insuper Parochos et Adjutores aliosque alterius Parœciæ Confessarios, ut libenter et alacri animo hoc munus caritatis sibi invicem præstent; neque non damnare possumus illorum duritiem, qui absque justis causis renuunt audire in suis ecclesiis Confessiones alienorum subditorum: potissimum vero reprobamus quorundam invidiam, qui proprias oves prohibere conantur, quominus aliquando apud alienos Confessarios suam expient conscientiam.

16. Qui animarum Curatores paucis sed aptis verbis, ante administrationem cujusvis Sacramenti, breve doctrinæ compendium de Sacramento administrando suscepturis tradent, apud Nos valde commendabuntur (*Prov. I Constit. p. II, De iis quæ ad Sacram. admin. gener. part.*). Cum porro Sacramenta Ecclesiæ non solum sine simoniæ labe, verum etiam sine avaritiæ suspitione præbenda sint, caveant omnes, ne ante eorum administrationem quidquam

exigant; aut etiam verbis vel signis, directe vel indirecte petant. Qui secus fecerit, eum et pœnis jure communi statutis, et aliis judicio Nostro plectere cogemur.

17. Ea qua decet pietate et gravitate sollicite Parochi curent peragi cæremonias sacras Sacramentis affines, spiritualibus emolumentis fecundas, ideoque Sacramentalium nomine designatas. Singulis diebus dominicis lustralis aquæ benedictio ante Missam parochialem fiat, aut saltem populus adspargatur juxta liturgicas leges, etsi absque cantu, qui adhiberi debet saltem in dominicis solemnioribus. Dum autem commendemus summopere, ut in amplioribus parœciis aliquis ex Sacerdotibus sacrorum rituum observationi in sacris functionibus incumbat, nolumus tamen posthac tales Cæremonarios vestem violaceam et ferulam gestare, cum ejusmodi vestis et ferulæ gestatio, ex Decreto S. R. C. (21 Martii 1744 in Bergom.), ad Cæremonarios solummodo Cathedralium attineat; proinde anteriores quas-cumque concessionem contra hunc Decretum, etiam a Nobis factas, omnino irritas declaramus.

18. Quæ sancti Ecclesiæ ritus postulant fieri diebus Purificationis B. V. M., Feriæ IV sub initio Quadragesimalis jejunii, Dominicæ Palmarum, Feriæ V et VI Hebdomadæ Majoris et Sabbati Sancti (saltem mane) non omitantur in quacumque parœcia, etsi nullus Sacerdos præter Parochum inibi degat. In quacumque vero parœcia ubi præter Parochum unus saltem habeatur Sacerdos, intra Majorem Hebdomadam Matutina tenebrarum, aliaque ejus temporis officia, cæremonias precesque ab Ecclesia institutas rite, sancteque persolvantur. Omnibus vero festis diebus, absoluta Doctrinæ Christianæ Schola, non omitant animarum Curatores Vesperarum officium cum Presbyteris et Clericis omnibus parœciæ canere.

19. Grandinibus interdum ingruentibus, præmisso aeris campani signo, perbrevis tamen, Parochus curet ut populus devote in ecclesiam sese recipiat, ibique paucis, sed efficacibus verbis, eum excitet ad culparum contritionem eliciendam; tum Litanias Sanctorum aliasque de libro Rituali preces, alternante populo, recitet. Ne autem Deum tentare homines videantur, instent Parochi ut, Præfectorum Ecclesiæ et Comunitatis cura, omnes ecclesiæ, sed parochiales potissimum, munimentis arte contra fulgura comparatis quamprimum protegantur.

20. Quæ de quinque libris parochialibus habendis et sub clave bene servandis Synodus VII (*Cap. De Par.*) edixit, renovamus; imo volumus Vicariis Foraneis eisdem exhiberi, ut ab ipsis prospiciantur atque subsignentur, cum Visitationem obeunt. Districtissime insuper præcipimus Parochis, ut monumenta sive documenta ad Baptisma, Confirmationem, Matrimonium, vel obitum alicujus spectantia ordinate et cautissime servent in Archivio parochiali.

21. Animarum Rectores, qui apud se constitui sategerunt parochialem Bibliothecam, nedum suorum successorum, Clerique usui, sed et laicorum potissimum pauperum commode dispositam, librisque refertam istorum intelligentiæ accomodatis, ut dum passim eis legendi præstantur, contra errores hodie serpentes muniantur et ad christianæ religionis pietatisque cultum alacriter excitentur, adeo commendabiles Nobis sunt, ut hujusmodi exemplum ceteris imitandum proponamus. Ut autem quisque Parochus « populum fidelem a pestiferis libris diligenter avertere (*Pius IX Const. Qui pluribus 9 Novem. 1846*) » incumbat, eosque de medio populi tollere, exemplar Indicis librorum a S. C. prohibitorum in Archivio parochiali, etsi nondum habet Bibliothecam, servet, consultationibus maxime Confessoriorum

exhibendum: quod quotannis appendicibus novorum Indicis Decretorum per Nos in Calendario edendis ditabit.

22. Summa sollicitudine animarum Pastores explorent quæ sint suarum ovium spirituales ægritudines, quæ scandala in medio earum, ut peccata populi non dissimulantes, nedum publice, sed et per domos in spiritu caritatis et fortitudinis, privatis monitionibus, consiliis et correptionibus, peccantes, adjuvante Deo, in viam salutis revocent, et peccandi occasiones removeant. Non maledictis, non vexationibus, non contumeliis ab isto monendi vel arguendi officio se abstertere sinant, ne si ipsis tacentibus grex eorum curæ commissus perierit, sanguinem ejus de illorum manibus Princeps Pastorum requirat (*Ez. XXXIV, 10*). Potissimum volumus ut Parochi consulant et provideant, ne in nocturnis vigiliis, quas oppidani et rustici per hyemem agunt, una simul mares et feminæ conversentur; atque ut obsecrando, arguendo, increpando tam private, quam publice adnitantur, promiscuos hujusmodi congressus, ex quibus criminum colluvies promanat, abolere; aliosque in fœnilibus, agris, vineis, etc., qui pro rusticanis operibus fiunt vel tollere vel, si id fieri non potest, saltem per prudentes viros moderari, ne, ut assolet, in animarum perniciem ob frequentes ingentesque peccandi occasiones vergantur.

23. Pauperum, qui maxime quæritare erubescunt, paternam curam gerant: pupillos viduasque, quo melius possunt, tueri non negligant: puellis quæ ancillantur, infantibus expositis, apud familias suæ parœciæ pro alimentis et educatione collocatis, attentius prospiciant, ne quid in eorum vitæ ac incolumitatis tum corporis, tum animæ potissimum damnum adstruatur. In hunc finem eorum catalogum habeant Parochi.



24. Habeant et commentarium sive indicem eorum omnium quæ in decursu anni, temporibus opportunis, agenda sibi sunt, aut suggerenda vel universim, vel certis fidelium cœtibus sive ad promovenda bona opera, sive ad removenda animarum pericula ex diversis usibus pro varietate tempestatum, ruralium operum, festivitatum etc., emergentia, prout, experientia docente, ex circumstantiis præsertim loci jam discere potuerunt, ne quid tardius doleant se prætermisisse eorum, quæ fidelibus suæ parœciæ ad mala præcavenda vel bona assequenda conduxissent.

25. Dissidia, simultates, odia, si quæ gregem dilacerare Pastor dignoverit, non omittat exhortationibus ac idoneis curis solerter lenire et, favente Dei gratia, avertere; ipse autem primus nunquam se contentiosum, aut litium cupidum ostendat: cumque ex temporalium rerum studio ut plurimum invidiæ et contentiones exoriantur, hinc declaramus eam esse mentem Nostram, ut nulla prosecuturi simus gratia et favore Parochum quemlibet bona stabilia sibi comparantem intra limites suæ Parœciæ, etsi pecunia patrimoniali id fieri constaret.

26. Parochorum sollicitudo et caritas super omnia fulgescant in invisendis, monendis et adjuvandis in primis pro salute spirituali, dein et corporali fidelibus ægrotis, quos invisere, etiam non vocati, et ad Sacramentorum susceptionem inducere Concilium Prov. I (*Constit. p. 2.<sup>a</sup>, cap. De iis quæ ad Sacr., etc.*) Parochorum debitum esse sancivit.

27. Accuratissime, sed studiosissima prudentia, invigilent Pastores circa mores Sacerdotum et Clericorum parœciæ, et curent ut per illos fidelissime serventur ea omnia, quæ in Jure communi et quæ in hac Synodo de vita et honestate Clericorum sancita sunt. Quum vero Clericorum

quempiam minus recte se gerere cognoverint, ne graves Heli ærumnas et ipsi incurrant, privatam delinquentis correptionem ex quopiam odii et damni periculo haud negligant. Pervicaces autem, nihil plane trepidantes, tempeste Nobis denuntient. Attamen magis Pastores Presbyteris Clericisque suis præsent exemplo, doctrina et virtutum omnium cultu. Comitatus autem vere sacerdotali spiritus unitatem in vinculo pacis servent tam cum Clero, quam cum populo, quæ summopere animarum sanctificationi conferre omnibus pervulgatum est.

28. In eligendis Presbyteris Nobis proponendis, ut eos constituamus in officio Coadjutorum, potiori animarum utilitati, non proprio vel alterius privato commodo prospiciant: ideoque non eos præ ceteris eligant per quos propriæ servituti aut præeminentiae consulatur, vel specialibus familiis indebitum obsequium præstetur; sed eos quos doctrina et prudentia, servata proportione ad parœciæ latitudinem et conspicuitatem vel exiguitatem, atque spes felicitis progressus, quo, Deo adjuvante, in bonos strenuosque operarios evadant ad curationem animarum, quas Sanguine pretiosissimo Christus redemit, aptiores ostendant; et de quibus gaudenter quisque Parochus dicere possit: *Illos oportet crescere, me autem minui*. Hinc Parochi Coadjutores suos sincero affectu prosequantur, eosque ad importabilia non cogant; sæpe ad se venire curent, benigne citra nimiam tamen familiaritatem cum eis agant, paterna sollicitudine fraternaque comitate commonefaciant, edoceantque. In illorum mores prudenter cum domi, tum extra animadvertant, inexperientiæ succurrant, ad pietatem in Deum et caritatem in proximum eos inflamment, decenti eorum vitæ alimoniis provideant, Nosque de illorum moribus, doctrina, zelo certiores reddant.

29. Coadjutores vero Pastorem suum debito honore et obedientia prosequantur, subque illius disciplina ad sacri ministerii munera egregie idoneos fieri studeant. Quæ agenda sint ab eo humiliter petant: in quovis officio absolvendo Parochi monitis morem gerant: nihil de iis quæ ad animarum curam et divinum cultum respiciunt, inscio et non annuente Parocho, agant; quin imo ab illius nutibus in omnibus omnino pendeant: nulla enim peculiaris provincia in animarum cura iis demandatur (exceptis Coadjutoribus Titularibus), sed in omnibus Parochum adjuvandi debitum, non jus habent. Quod si forte aliquando, justis et non levibus de causis, gravamen adversus Parochum suum ferre ex conscientia cogantur, neminem ad hoc nisi Nos ipsos adeant.

30. Nolumus ut Coadjutores suscipiant vel gerant officium Neocororum (*Fabbricieri*), præcipue vero Thesaurariorum (*Cassieri*) ecclesiæ cujusquam. Qui vero jam dudum iis mancipantur officiis, intra bimestre a publicatione hujus Synodi officia ipsa, dimittere jubemus.

31. Utinam ex S. Gregorio Magno omnes Sacerdotes bene didicissent « quoniam ars artium est regimen animarum! Quis autem cogitationum vulnera occultiora esse nesciat vulneribus viscerum? Et tamen sæpe qui nequam spiritualia præcepta cognoverunt, cordis se medicos profiteri non metuunt ». Utinam insuper ex eodem sancto Pontifice didicissent, quod « locus regiminis desiderantibus negandus est, fugientibus offerendus! » atque ex D. Thoma Aquinate (2, 2, q. 100, art. 5) quod « si quis pro se rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus! » Verumtamen submissionem animi ad tantum onus assumendum, cum illud cuiquam imponere in Domino judicaverimus, insignis

obedientiæ meritum æquum est existimare. Cum vero non sine levitatis animi aut alterius defectus nota ut plurimum fieri possit, ut quis, ex quovis incommodi prætextu vel commoditatis ambitu, ex una ad alteram parœciam regendam transire cupiat; cumque hæ mutationes haud raro mutuo Pastoris oviumque affectui, atque istarum spirituali bono nocumentum asferant, ut se quisque prudens ac cordatus animarum Curator ab hisce caveat, in visceribus Christi adprecamur.

32. Graviter ægrotante Parocho, Vicarius Foraneus certiorari non omittatur a Sacerdotibus Parœciæ vel Parochis proximis de periculo etiam remoto in quo forte versatur infirmus, ut quantocius ex officio vel ipse accedat, vel Parochum viciniorem mittat, ut eidem infirmo, et quibuslibet in ea parœcia occurrentibus provideatur. In obitu Parochi, serventur ea quæ Synodus VII (*De Paroch.*) sancivit circa Parochorum funera, hac tamen lege adjuncta, quod, si defuncti paupertas per Vicarium Foraneum declaretur, funera, et quidem solemniora pro consuetudine loci, ad levamen defuncti Pastoris celebrentur: ex capsâ autem Mortuorum solvantur expensæ pro usu ceræ et similium, ac pro eleemosyna Missæ solemnissimæ: quod item servetur in Missæ anniversarii indicta sub C. XXVI, § 24. Ceterum Parochos regionis et omnes de Clero vel addictos servituti ecclesiæ, gratis funeri interesse jubemus.

---

## CAPUT XIX.

---

### DE VICARIIS FORANEIS

1. Adjuutores aliquos huc illucque per varia diœcesis loca constitui, quasi speculatores a Nobis positos ad vicem Nostram ex parte gerendam in assignata sibi regione, Vicariosque Foraneos vocari, voluit Concilium Provinciale primum (*Tit. De Vic. For.*). Horum est autem, ut pressius loquamur, Episcopi jussa et Synodorum statuta ad praxim deducere, semotis sanguinis amicitiaque affectibus; Cleri disciplinam promovere; Ecclesiae jura scite, prudenter, et immobili semper animo una cum Episcopo procurare. Ut tamen, certis legibus designata, Vicariorum opera efficacior evadat, hæc edicenda ducimus.

2. Cura Vicariorum esto Parochos et Sacerdotes a via nimis lata vel nimis rigida, quin injuria cuique irrogetur, in unitate sanæ doctrinæ continere, ita ut non sint contentiones et scissuræ inter eos, sed cor unum et anima omnibus una. Satores itaque placitorum singularium, vel novorum, comiter vel acriter, prout caritas vel necessitas postulat, arguant.

3. Quæ ad rectam Sacramentorum administrationem, potissimum vero Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Matrimonii, Olei infirmorum, in hac Synodo sancivimus, ita volumus Vicarios Nostros in diœcesi curare, ut fidelissime a Parochis et ab omnibus ad quos spectat serventur, ut nunquam,

ipsis tacentibus, inobservantias et abusus etiam graves irrepsisse deprehendamus.

4. Super festorum observantiam in quavis Parœcia regionis sibi commissæ ne cessent inquirere, et Parochis dexteram dare, ut scandala chorearum, spectaculorum indecentium, negotiationum et nundinarum, quæ civilibus etiam legibus prohibentur, amoveantur. Ceterum potissimum invigilent, ne quid peccent Parochi, Coadjutores, Presbyteri et Clerici omnes contra ea, quæ de verbo Dei prædicando vel audiendo, sive per conciones, sive per enarrationes et catecheseos in Scholis Doctrinæ Christianæ festivis, aut ferialibus in hac Synodo ediximus. Hanc vero provinciam, scilicet curandi, ut verbum Dei scite et frequenter fidelibus enunciatur, et hinc impedimenta quæcumque tollantur, Vicariis Foraneis singulariter mandatam volumus.

5. Quisque Vicarius Foraneus, præter ceteros libros Presbyteris omnibus præscriptos, habere teneatur codices etiam VII saltem Synodi Diœcesanæ, Instructionum et Editorum Episcopaliū quæ passim evulgabuntur; actus insuper novissimæ Visitationis Episcopalis parœcias propriæ regionis respicientes, quorum exemplaria Curia Nostra exhibebit.

6. A singulis Parochis suæ regionis exigere non omittat Vicarius notitias alibi injunctas, atque, inter cetera, quæ de functionibus, Clero, ecclesiarum inservientibus aliisque ordinata sunt.

7. Idem advigilare non desinat supra Institutores et Institutrices totius regionis, ne circa fidem vel circa mores delinquentes fungi eo munere sinantur.

8. Quæ de Scholis Doctrinæ Christianæ habendis per Parochos, Coadjutores, Presbyteros et Clericos in quacumque ecclesia parochiali suæ regionis in hac Synodo

edicere duximus, ut incunctanter et fidelissime serventur, sātogat quisque Vicarius; imo et studiosissime curet, ut in parœciis animarum numero eminentibus nedum in ecclesia parochiali, sed pluribus in locis, et etiam non festis diebus, si oporteat, pro animarum bono et salute, auctoritate Nostra requisita, erigantur et instituantur.

9. In regione sua quisque insuper Vicarius Foraneus habeat Congregationes sacerdotales, quas in hac Synodo exercendas statuimus, ita ut nunquam, quæ præscriptæ sunt (*Cap. seq.*), prætermittantur.

10. In Visitatione singularium parœciarum obeunda secundum statuta Capituli sequentis, videat an synodalibus decretis et ordinationibus in Visitatione Pastoralis factis, debita præstita fuerit obedientia, utque illa adimpleantur urgentissime curet, tempusque præfiniat; reluctantes autem ad Nos deferat corripiendos. Actus Visitationis ex libro apposito servando apud Vicarium Foraneum transcribi debet opere Cancellarii Vicariatus in duplici exemplo, quorum unum Parocho tradi, alterum ad Curiam Nostram mitti volumus.

11. Singulis annis, die a Nobis indicando, post Pascha apud Nos omnes Vicarios Foraneos volumus convenire, ut in hac potissimum Congregatione ad majorem Dei gloriam, hujusque diœcesis in spiritualibus profectum discutiantur ea, quæ in scriptis referri per Vicarios ipsos juserimus, præter cetera, quæ de statu Cleri a Parochis exhibendo jam (*Cap. XVI, n. ult.*) decrevimus; cui statui quilibet Vicarius proprias adjunget adnotationes.

12. Non ideo tamen quia in hac Congregatione potiora veniant proponenda et ordinanda ecclesiarum diœcesis negotia, autument Vicarii sibi fas esse abstinere a frequentiore Nobiscum personali et per scripta communicatione: quinimo, ut quæ per ipsos Nobis cognoscenda

erunt cognoscamus circa negotia ecclesiæ, populi et Cleri, præter ea quæ in frequentibus eorum ad Nos accessibus oretenus referent, quacumque die urbem adibunt (etenim ingratum Nobis foret si ea occasione Nos ipsos vel Vicarium Nostrum Generalem convenire negligenter), sæpe etiam per scripta Nos certiores reddant de iis, quæ in singulis eorum regionibus circa divinum cultum, mores populi, Clerique disciplinam relatu digna erunt.

13. Dissidia et controversias, inter Ecclesiasticos præsertim viros, amice componant Vicarii; quod si asperiores sint animi, vel res magni momenti, sollicite ad Nos referant, et scandala ex eis forte oritura prudentissime avertere satagent.

14. Quæ in Synodo VII salubriter sancita fuere (*Cap. De Parochis*) quum quivis Parochus in diœcesi ægrota-verit vel obierit, ex decretis 15 et 16 Concil. Prov. II servari curabunt Vicarii. In obitu vero Vicarii Foranei funus ducere et Missam solemnem decantare ad eum spectabit, qui sacri ministerii primas obtinebit. Ipse illico Nobis dabit notitiam obitus; atque, præsentem saltem uno, si fieri potest, ex Parochis regionis, et advocato aliquo ex consanguineis defuncti, conficiet inventarium actuum, documentorum, omniumque respicientium officium Vicarii, quo fungebatur decessus: eaque omnia apud se, vel in loco idoneo domus defuncti reponet, et clavem saltem apud semetipsum servabit, usque dum jussa Nostra ad illum pervenerint.

15. Ut grave est Vicariorum onus ac spectabile munus, ita par illis obsequium debitamque obedientiam a Parochis, Sacerdotibus et Clericis, qui in illorum provincia degunt, præstari volumus.





## CAPUT XX

---

### DE CONGREGATIONIBUS CLERI

1. Ut Sacerdotes, quorum ex ore lex est requirenda, scientiam adipiscantur atque custodiant; ut fideles dispensatores inveniantur *Mysteriorum Dei*; atque ut zelo salutis animarum exardescant; ut denique communi consilio collaborent, sicut boni milites Christi, nihil aptius esse videtur illorum conventuum celebratione, in quibus quæ lectione et meditatione seorsim comparata utcumque fuerint, dum per eam quæ invicem est fidem et caritatem exponuntur, et exactius enucleantur, et firmiter memoriae mandantur, et animo libentius excipiuntur, et securius ad praxim deducuntur.

2. Plurium itaque Ecclesiarum exempla (*Syn. Novar. 1826 C. VI, n. XXI. — Bergom. Cornel. III, C. XXI. — Item Ema. I, Decr. III, etc.*) sequuti, trium specierum conventus Cleri agi proponimus. Primum semel in hebdomada in Civitate apud virum ecclesiasticum quem eligemus, et in parœciis in quibus quinque vel amplius degunt Sacerdotes apud Parochum, vel apud Sacerdotem alium de consilio Parochi celebrari enixe hortamur. — Statutis loco, die, et hora, Sacerdotes omnes, Clerici etiam theologicis disciplinis addicti, vacationum tempore, conveniant. Tunc ab eo qui præest, precibus præmissis, quæ ante Congregationem adhiberi solent, legatur aliquid mores

et munia Cleri attigens, utpote decreta Concilii Tridentini, statuta Synodorum provinciae vel diocesis, Sermones alicujus sancti Ecclesiae Patris, Institutiones Benedicti XIV, Pastorales litterae Cardinalis Manfredini, Sermones ad Clerum Episcopi Claromontis, etc., supra quae, interdum pausa facta, cuique liceat attentionem ad aliquid notabilius committere advocare. — Procedatur ad lectionem alicujus moralis tractatus ordinato progressu ex opere vel S. Alfonsi Mariae de Liguorio vel alicujus, qui moralem ejusdem Sancti doctrinam rite calleat, expositoris, alteriusve probati auctoris: atque super haec quae lecta fuerint, commenta viva voce vel casus conscientiae proponantur. — Sicque protrahatur collatio usque ad duas horas, quae compleri poterunt lectione, vel sermone de Theologia dogmatica, de sacris Ritibus, de Historiis ecclesiasticis, de Jure canonico, et similibus; demum, solitis precibus, dirimatur. Omnia autem ordinate fiant ad aedificationem intervenientium, et in utilitatem ministerii. Si desit qui praesidere debet, ad hoc officium dignior ex Sacerdotibus congregatis subingreditur. Qui huic exercitationi assidue, atque studiose incubuerint bene de Nobis merebuntur, eorumque diligentiae rationem habere solliciti erimus.

3. Menstrualem aliam congressionem tum in urbe apud Nos, tum extra in singulis parœciis, ubi duo vel plures adsunt Sacerdotes, haberi hortamur; ubi vero septem vel amplius Sacerdotes degunt, etsi eorum aliqui ex legitimo impedimento intervenire prohibeantur, fieri praecipimus apud Parochum die et hora ab eo praestituta, exceptis mensibus Septembris et Augusti: in eaque Congregatione solutiones Casuum conscientiae, qui per Nos in Calendario proponuntur, scripto exaratas idiomate latino a singulis Sacerdotibus tradantur Parocho, qui trium Sacerdotum

(sortitione facta, si plures intersint) solutionibus auditis, suam de iis sententiam aperiet. Singuli autem, quatenus perpensis aliorum rationibus recedere a propria sententia, vel eam emendare melius judicabunt, de hoc solerti manu adnotationem proprio scripto injicient.

4. Solutiones casuum Congregationis menstrualis per Parochum collectæ trasmittantur ad Vicarios Foraneos, illique per se vel per alios Sacerdotes a Nobis designatos eas examinent, et voto manu propria signatas ad Parochos, ut auctoribus restituant, cito transmittere curent.

5. In reliquis serventur regulæ hebdomadalis Congregationis.

6. Qua hebdomada habebitur in quavis parœcia Congregatio menstrualis, vacet hebdomadalis: qua autem colligetur Congregatio Foranea, vacet etiam menstrualis.

7. Tertiæ speciei Congregationes sunt, quæ Foraneæ vel Regionariæ vocantur, in quibus Parochi conveniunt tum pro solutione casuum, cum pro visitatione ecclesiarum.

8. Tot hujusmodi in quoque Vicariatu habeantur, quot sufficiant, ut tertio quoque anno ecclesiæ singulæ visitentur. Regulæ autem tam in Synodo Diœcesana septima, quam in apposita Instructione per Decessorem Nostrum Alexandrum Mariam Pagani propositæ, quo ad cetera adamussim serventur.

9. Posthac ne ulla sit Ecclesia extra urbem a Visitatione ista per Synodum septimam statuta immunis, quæ usque nunc usu vel privilegio quomodocumque exemptæ fuerunt, et præcipue ecclesia Vicarii Foranei cujusque, quam ceterorum Parochorum visitatione exemptam volumus, per Sacerdotem a Nobis deputandum, singulis saltem trienniis, invisentur occasione Congregationis Foraneæ, cujus

celebrationis trigesimo saltem die præcedenti nuntium Nobis mittet ipse Vicarius.

40. Circa quænam Visitatio peragi debeat, brevitatis causa, tradimus in Appendice (1).

41. Sub initio cujusque ex conventibus, quos in hoc capite memoravimus, nomina præsentium et absentium notentur per Cancellarium, et occasione Congregationum Vicariorum in Palatio Nostro habendarum, ad Nos deferantur, in culpabiles animadversos.



(1) Vid. Append. VI.

## CAPUT XXI.

---

### DE SEMINARIO CLERICORUM

1. Nihil profecto validius ad ecclesiasticam disciplinam, collapsam restituendam et restitutam conservandam, quam institutio vel instauratio collegiorum, in quibus adolescentes ecclesiasticis ministeriis addicendi ad pietatem et religionem informantur, atque scientiis et bonis artibus imbuuntur, ut in disciplina ecclesiastica, tempestive eruditi, Deo auxiliante, ad finem usque vitæ perseverent. Eapropter jure ac merito a Tridentina Synodo Seminario nomine ejusmodi collegia insignita ac deinceps perpetuo salutata sunt; eo quia, si optimis legibus et disciplinis moderentur, uberes sint optimorum Dei et Ecclesiæ ministrorum soboles. Hinc Prædecessores Nostri sacrosancti Tridentini Concilii decretis obsequentes, Provincialium quoque statutis edocti, et S. Caroli Borromæi vestigia sequuti, manus statim admoverunt, ut tam eximium Institutum et in hac diœcesi erigeretur; omnique studio contenderunt pro eorum sapientia, ut exactioribus legibus moderaretur. Veruntamen quum, si vel novæ in dies curæ, temporum morumque vicissitudinibus accomodatæ, non decernantur, vel decretæ ad praxim non deducantur, ecclesiastica disciplina ad interitum ruat, et christifidelium mores consequenter deteriores in dies evadant; hinc a Patre luminum ope implorata, ac re maturius perpensa, hæc

quæ Nobis utiliora visa sunt ad regimen Seminarii Nostri, præter ea quæ interiorem spectant disciplinam, edicimus.

2. Ad Seminarium nemo admittatur, qui non eo sit ingenio præditus, ut prudenter liceat auspicari de illius in litteris tum humanis, tum divinis mediocri saltem profectu: precipue vero eligantur, qui inter ceteros adolescentes pietate in Deum, reverentia in majores, caritate in proximos, morum pudicitia enitent. Pauperum autem filios, quos invenerimus præstantes ingenio et pietate, in Seminario libenter excipiemus, et, pro Instituti viribus, sustentare curabimus (*Trid. Sess. XXIII, c. 12*). Hæc omnia, antequam adolescentes ecclesiasticum habitum induant, indeque inter alumnos Seminarii cooptentur, aptis testationibus explorata fiant Rectori Seminarii Nostri, cui istius negotii expediendi, dependenter in singulis casibus a voluntate Nostra, summam committimus.

3. Sæpe in anno vel per Nos ipsos, vel per virum Nostræ electionis Seminarium perlustrabimus et, si quæ fuerint ordinanda aut moderanda, ea potissimum occasione perficiemus.

4. Congregationes super Seminarii negotiis, tum quo ad mores, pietatem, disciplinam clericalem et scholasticam, tum quo ad bona temporalia eorumque administrationem, bis saltem in anno, in Quadragesima scilicet, et circa finem cujusque anni scolastici, habendas esse decernimus, vocatis de jure vocandis, et Seminarii Rectore nunquam absente, nisi quando de rebus illiusmet personam respicientibus agi contingat.

5. Duplex in Seminario Archivium esse volumus: unum in quo recondantur scripta, instructiones et cetera, quæ ad scholas, studia, et disciplinam attinent; alterum, quo omnia documenta, ut ajunt, scripta jurium, scilicet

instrumenta cujuscumque speciei, et libri administrationis bonorum ipsius Seminarii servantur, in loco apto et munito constitutum, Rectoris periculo et vigilantia, ita ut nemini, nisi Nobis ipsis, liceat aliquid inde tollere: de quo per Presbyterum Nostrum a secretis schedulam notitiæ dabimus, quæ in ipso tabulario custodietur.

6. Rectoris regimini, Nobismetipsis singulis diebus, si oporteat, rationem reddituri, omnia subsint in Seminario: item omnes sive alumni, sive familiares eidem subjaceant; promptam obedientiam saltem in actu et Moderatores et Institutores, quiqui fuerint, Rectori reverenter præsent, sive ob supremam necessitatem ordinis servandi, sive ob alumnorum ædificationem, quam iidem præ omnibus excellentius exhibere debent.

7. Moderatores disciplinæ in Seminario haud die noctuque advigilare cessabunt omnibus et singulis adolescentibus ea perindustri sollicitudine, qua merito parentum et Ecclesiæ vices sibi demandatas tanto videantur animo explere, quanto in Jesum Christum et sanctam ejus sponsam Ecclesiam supremo devinci amore Sacerdotes optimos omnino decet. Nunquam igitur inter Clericos Seminarii aut palam sæpius, aut secreto interdum Moderatoris oculus desiderabitur; idque providebit Rector tam diligenter impleri, ut plane ne ad breve quidem tempus deesse unquam patiatur; pro certo tenens de hoc defectu veniam Nos minime fore duros. In hoc autem negotio tanta premit cor Nostrum sollicitudo, ut Vices-Rectoris Gerenti omnino prohibitum esse velimus, quominus officium aliud quodcumque, præter vigilantiam continuam super Clericis sive extra Seminarium, sive intra, sub quocumque titulo, nisi forte alumnorum in schola litteris scientiisque imbuendorum ad brevem diei horam, adsignetur.

8. Moderatorem quoque in spiritualibus volumus nunquam sponte assumere officium quodcumque extra Seminarii limina exercendum, nisi de Nostra licentia, quam perraro daturi sumus, ne a proprio munere animum avocare compellatur.

9. Clericorum Seminarii Moderatores et Institutores singuli alta mente sæpius coram Deo recogitent, magni ponderis ac momenti esse munus sibi a Nobis commissum: totius quippe sortes diœcesis in ipsorum veluti manibus positæ sunt, quum ex ipsis præ ceteris pendeat, ut habeantur Sacerdotes spiritu ecclesiastico præstantes, vel mundano spiritu depravati; ut Parochi quoque animarum zelo incensi efformentur, vel propriis commodis inhiantes succrescant, unde et populi vel pietate in Deum, ac ceteris virtutibus præditi, vel irreligiosi vitiorumque omnium sectatores existant.

10. Nunquam igitur obliviscantur, ideo se supra candelabrum positos esse, ut splendorem virtutum omnium undequaque diffundant: propterea sic vitam instituant, ut communes sacrorum Canonum, et peculiare diœcesanas Constitutiones, tum quo ad interiorem pietatis cultum, tum quo ad exteriorem ecclesiasticam disciplinam adamussim servantes, totius ecclesiasticæ formam virtutis in se exhibeant.

11. Ne, dum totis viribus, uti par est, studiis litterarum scientiarumque Institutores incumbunt, spiritum extinguant; sacras ecclesiastici ministerii functiones, et animarum directionem in tribunali pœnitentiæ, quantum fieri potest, assumere non desinant: aliorum enim spiritus cura plurimum confert, experientia teste, ad proprium incolumem, excitumque servandum.

12. Ipsorum mente nunquam excidat, quamlibet sive scientiarum, sive litterarum doctrinam ad sententiam



moralem ac religiosam animis alumnorum insinuandam industri solertia, non quidem ex professo, sed veluti ex transitu, adhibendam esse, quoties argumentum ad id accomodari possit; videlicet ad Dei venerationem et amorem, animarum zelum, salutis æternæ curam, vitiorum detestationem, virtutum laudem ac desiderium, et similia: quæ si ultro ac veluti inopinato proponantur, juvenum animos ita penitus pervadent, ac potenter afficient, ut validius fortasse et firmitus cordibus inhæreant, ac si a spiritus Moderatore data opera tradita forent.

13. Quum sciant Episcopo jus esse ac munus, juvenes Clericos instituendi prout dignoverit expedire Ecclesiæ sibi a Domino commissæ, ideo Moderatores ac Præceptores in omnibus, quæ tum ad mentis tum ad cordis cultum pertinent, tam re quam forma, Ipsius voluntati conformentur oportet.

14. Aliquibus diebus quotannis ante scholarum initium Moderator in spiritualibus alumnos Clericosque Seminario addictos piis exercitationibus recreabit ad normam instructionum pro Seminariis gloriosissimi D. Caroli Borromæi.

15. Semel in anno Exercitia spiritualia in Seminario per optimos Sacerdotes sæculares vel regulares, ex consensu Nostro delectos, octiduo continuo haberi Rector curabit sub Dominica Sexagesimæ, adhibita ea silentii disciplina, quæ ad colligendos uberiores fructus, Sanctorum sententia et experimento, quammaxime conferre comperitum est.

16. Quod de Confessario extraordinario bis in anno ad Seminarium mittendo, et de scenicis repræsentationibus non agendis sancitum legitur in Synodo Laudensi septima (*Cap. XX De Semin. Cleric.*), confirmatum volumus.

17. Rectoris Vicem-Gerens diligentissime curabit, ut nullus omnino cujuscumquæ disciplinæ, et etiam pietatis liber a quolibet alumnus habeatur, nisi de Rectoris expressa licentia. Valde indignabimur adversus quempiam quovis modo peccantem in promovenda hujus statuti observatione.

18. Ad normam Instructionis S. Caroli pro Seminario (*Actor. Eccl. Med. P. V, c. 1. De Instit. Semin.*) « nulli » omnino, qui extra Seminarium vivat, cum Clericis in Seminario degentibus versari, aut etiam colloqui sine Rectoris facultate liceat; quod idem iis quæ de familia Nostra erunt, atque adeo ipsis Deputatis Officialibus ad regimen Seminarii interdictum esse volumus, nisi id de expresso Nostro mandato faciant ».

19. Mulieribus, etiam quocumque consanguineitatis vinculo personis in Seminario degentibus devinctis, accessum ad interna Seminarii omnino vetamus, matre excepta. Si cui alumnorum ex justa causa cum muliere colloqui oporteat in cubiculo receptionis (*Foresteria*), licentia Rectoris quavis vice impetretur, qui ut plurimum curabit adesse aliam personam a se deputatam.

20. Si cuipiam ex alumnis aliquando dabitur a Rectore, rationabili de causa, licentia exeundi ad breve tempus e Seminario, comitem ei deputabit Clericum probum, nisi in comitatu sit proprii parentis vel honesti conjuncti.

21. Post signum *Ave* noctis, una elapsa hora, claudantur januæ omnes, et claves Rectori tradantur, neque aperiantur nisi mane, hora per Rectorem adsignanda.

22. Feriarum majorum tempore adventante, singuli alumni ante discessum Rectorem adeant admonitiones et præcepta suscepturi. A Moderatore etiam spiritus consilia de sibi præcavendis et servandis in bonum animæ petant.

Noverint autem Clerici feriantes, in quacumque parœcia degant, ea reverentia et obedientia Parochum loci sibi prosequendum, qua in Seminario Rectorem; secus indignationem Nostram incurrent, et ecclesiastici spiritus expertes se prodent.

23. Demum Rector per epistolam secreto mittendam de vita et moribus cujuscumque Clerici commonefaciat singulos Parochos locorum ad quæ alumni ut feriantur se conferunt, eosque roget, ut diligentissime circa alumnos ipsos invigilent, ne quid eo temporis agant contra regulas eis præstitutas; cujus unum saltem exemplar, Seminarii sumptibus, apud singulum Parochum haberi curabit. Monebit etiam Rector in dicta epistola Parochos, ut intra octiduum antecedens regressum alumnorum ad ædes Seminarii secretas litteras circa mores, pietatem, disciplinam, studium cujuscumque Clerici ad Seminarium regressuri sibi eidem mittant.

24. Nolumus ut statim ac quis ad Presbyteratum promotus fuerit, etsi completo studiorum curriculo, nexum omnem cum Seminario abscindat; sed ad perficiendam ecclesiasticam suam educationem, antequam e Seminario discedat, assignari sibi a Rectore quærat tractatum aliquem theologicum, cui operam dare expediat, et dein duobus sequentibus annis, initio mensis Novembris, coram ipso Rectore se sistat ad tentamen per Institutores subeundum.

---

## CAPUT XXII.

**DE REGULARIBUS ET SANCTIMONIALIBUS**

1. Quum Nobis et universæ diœcesi nec nova, nec tenuis optime de Religione meritorum Regularium nonnulla Cœnobia, Deo favente, in pristinum statum restituendi, vel de novo excitandi spes feliciter affulgeat, ea quæ de Regularibus in Synodo VII (*Cap. XIII*) sancita fuere de verbo ad verbum, et tamquam hic scripta et edicta vigorem habere et habitura fore in diœcesi Nostra jubemus.

2. Ad consuetas publicas Supplicationes, aliasque pro temporis eventibus indicendas Regulares viri conveniant juxta sacrosancti Tridentini Concilii decreta (*Sess. XXV, c. 15*).

3. Mulieres ad benedictionem purificationis post partum accipiendam in suis ecclesiis non admittant, aliaque officia et munia quoquomodo ad Parochos spectantia non suscipiant, nisi per Parochos ipsos scripto rogati fuerint, et Superioris regularis licentia accesserit.

4. Functiones sacras in propriis ecclesiis, festorum potissimum dierum tempore sic peragant, ut parochiales nunquam perturbent, aut impediunt, modumque servent quo populus ab his nequeat avocari.

5. Sanctæ caritatis vincula cum Clero sæculari et cum Pastoribus potissimum tanto ferventiori studio in diem multiplicare ac dulciora reddere curent, ut de uno

ovili et sub uno Pastore omnes tam regulares, quam sæculares Sacerdotes pro hominibus constitutos esse populi videant et gaudeant, atque ideo facilius sanctificentur.

6. Cum Sanctimoniales inter claustra perpetuo degentes usque adhuc apud nos desiderentur, Parochos et civiles Magistratus enixe adhortamur, ut dexteram dare contendant ad erectionem vel restitutionem Monasteriorum: Collegia autem et Religiosarum Virginum domus quæ in diœcesi nostra Laudensi feliciter extant fovere, tuerique ne cessent, sibi que persuasum habeant id Deo acceptum, id patriæ utile admodum esse.

7. Curent Parochi et Confessarii sub comminatione anathematis a Tridentino lati pro feminis, ne alicui impedimentum fiat ingrediendi Religionem; prudenter imo adjuvent, ut sancti voti compotes illæ evadant, quas a Deo vocari compererint.

8. In novitiatu vel probatorio, ut ajunt, postulantes ne recipiantur, nisi testimoniales de vita et moribus, protulerint, juxta Decretum S. C. super statu Regular. de mandato Pii PP. IX feliciter regnantis editum die 25 Januarii 1848.

9. Ad vestitionem et professionem octiduo Exercitiorum spiritualium se disponant.

10. In domibus Monialium, vel feminarum sub quacumque regula per Nos adprobata degentium, puellæ quæ annum duodecimum excesserint, in scholis instituendæ ad convivendum non recipiantur, nisi per Nos causa cognita fuerit.

11. Patre et Matre exceptis, nemini Gyneceorum, vel ejuscumque Conservatorii sive Collegii Præfectæ facultatem faciant colloquendi cum puellis conviventibus, nisi præsentem una ex Superiorissis loci.

12. Institutioni puellarum in Conservatoriis Monialium, aliarumve feminarum sub regula cujuscumque nominis degentium, non incumbant nisi ipsæmet Religiosæ feminae. Magistras tamen poeseos, calligraphiæ, et linguarum permittimus ex necessitate in Gyneceos, sive Conservatoria et Collegia etiam ab extra induci, dummodo sint feminae probatæ vitæ, quæ in domo paterna convivant, vel apud privatas familias bonæ famæ domicilium habeant.

13. Musices et picturæ Magistros, Medicum et Procuratorem, nec non quemcumque hominem laicum dīstricte prohibemus Superiorissis Gyneceorum et Collegiorum conducere, quin antea licentiam Nostram scripto impetaverint.

14. Si quæ sint Monasteria, Conventus, vel Religiosorum virorum aut feminarum Collegia, ex privilegio a S. Apostolica Sede, vel a Nobis impetrato, a jurisdictione parochiali exempta; ad formam privilegii obtenti, ea reapse exemptione gaudere volumus, ita ut demortuas personas, ad tenorem privilegii deferre ad publicum cœmeterium possint, funus adsociante, cotta et stola induto, Sacerdote Collegii Cappellano cum Cruce et aliis de more. Ceterum Superiores religiosi et Cappellani Monialium, quamvis exemptionis privilegio fruantur, si speciali privilegio non gaudent habendi mortuorum librum proprium, teneantur Parochum loci obsequenter admonere de quocumque casu mortis circa personas exemptas: ac præcipue sine mora et diligentissime Parocho ipsi notitias authenticas et documenta, prout iste exquisierit, præbeant, ut acta mortuaria, in archivio parochiali servanda rite confici possint.

15. Moniales et Virgines religiosæ, quocumque vocentur nomine, non sinant choreas duci in Claustris. Si autem

libeat interdum scenicis ludis indulgere, eos sæculares tantum alumnas agere licebit; sed prius veniam et approbationem operis obtineant ab Episcopo, ejusve delegato: ab illis autem conspiciendis personæ alterius sexus omnino excludantur.

16. Ad sonitum *Ave Mariæ* in vesperis Monasteria et Conservatoria puellarum claudantur, et omnes personæ exteræ exeant.

17. Non fabricæ novæ, nec immutationes in muris, præcipue externis, fiant absque Episcopi licentia.

18. Omnium librorum, etiam spiritualium, tum pro se, tum pro alumnis intra tres menses elenclium Nobis exhibeant Religiosæ feminæ; atque deinceps singulis vicibus, cum novos libros admittunt.

19. In quacumque Religiosa feminarum Domo inter annum Exercitia spiritualia habeantur ab aliquo Sacerdote per Nos adprobando.

20. Confessarii et Cappellani cum Monialibus et Religiosis Virginibus breviter, et tantum de rebus, quæ ad suum munus exercendum pertinent, colloquantur.

21. Bonorum et reddituum, nec non expensarum quotannis rationem reddant Superiorissæ Monasteriorum per tabulam ad Episcopum mittendam.

22. Confessarium post triennium Religiosas feminas retinere non liceat, sed novum ab Episcopo expostulent. Confessarius ipse, quem in eo casu jurisdictione privamus pro Monialibus iisdem, ab officio desistat, nisi forte per peculiare Constitutiones approbatas, ad longius tempus in eo Officio permanere debeat.

23. Bis quoque aut ter in anno extraordinarium Confessarium eis offeremus (*Conc. Trid. Sess. XXV, c. 10*), qui per quindecim continuos dies quavis vice confessiones

audire poterit: omnesque tum Religiosæ, tum alumnæ semel saltem quavis vice ipsi se præsentare debent, ut confiteantur, vel ut monita salutis audiant. Aliquoties ulterius si quæ Religiosa aut alumna Confessorem extraordinarium petat pro majori animi sui quiete, et ulteriori progressu in via Dei, Superiorissæ non sint difficiles ad præbendum assensum, dummodo ex approbatis a Nobis ad Confessiones Monialium eligant (*Bened. XIV. Const. Pastoralis curæ ann. 1748*).





## CAPUT XXIII.

---

### DE PIIS LAICORUM SODALITATIBUS

1. Piæ laicorum Sodalitates religionis, caritatis ac pœnitentiæ studio institutas, atque luculentissimis historiæ monumentis commendatas, hisce nostris temporibus ad fidelium ædificationem utiles cum primis extimamus. Ne tamen a præstitutis sibi legibus forte deflectendo, detrimentum potius quam lucrum inferre incipiant, hæc Nos edicenda esse consuimus.

2. Unum tantum laicorum Sodalitium novum cujuscumque tituli in ecclesiis Regularium legitime institui, vel alibi institutum per aggregationem erigi poterit, prævia Nostra adprobatione (*Constitut. Clem. VIII, Quæcumque ann. 1604*).

3. Item in unaquaque ecclesia Nostræ jurisdictioni subjecta nonnisi unum existat, præter Scholas Doctrinæ Christianæ ac Sanctissimi Sacramenti, Congregationes Caritatis et Oratoria juventutis. In civitate autem, præter dictas Scholas et Congregationes, plures Confraternitates ejusdem tituli, etsi in diversis ecclesiis et parœciis passim non permittemus.

4. Sodalitia, festiva præsertim, adolescentium utriusque sexus custodiæ et institutioni dicata, servatis antedictis regulis, jam nunc erigi nedum concedimus, sed impensius hortamur.

5. Inter ceteras vero Sodalitates quæ SS. Sacramenti titulo honestatur profecto eminent, atque inter nostros, Deo

favente, perdurat; et, si in aliquibus parœciis adhuc desideratur, brevi, Parochorum et fidelium religiosissima cura, institui summopere commendamus (*Prov. I et IV De iis quæ S. Euchar. pert.*).

6. Sodalitates, quæ jam legitima auctoritate subsistunt, regulas sibi injunctas accuratissime servare studeant. Visitatores autem, quos dabimus, obsequentissime excipiant, nisi jure vel privilegio legitime eximantur.

7. In Confratres non cooptentur novennio minores, vel qui de moribus, religione, pietate per Parochum probati non sint. Confratres sextumdecimum ætatis annum non superantes suffragio ferendo in commitiis seu congregationibus abstineant (*Syn. Nov. 1826 De Confratr.*).

8. Sodales candidati SS. Sacramenti et si qui fuerint alterius Sodalitii privilegio habitum proprium deferendi rite donati, habitum ipsum antea de more benedictum, nisi præsentem Parochum, vel alio Sacerdote a Parochum delegato, consuetis adhibitis precationibus, prima vice non recipiant (*Ibid.*).

9. Singulis annis, die festo commodiori et præstituto haberi volumus comitia generalia, sive congregationem universorum Sodalium SS. Sacramenti in unaquaque parœcia, cui, præter ceteros de jure, præerit Parochus, nisi alteri a Nobis id muneris commissum fuerit. Hujus partes erunt curare, ut omnia rite, pacate, et ad formam juris peragantur, ita ut nihil in congregatione agitari et suffragio congregatorum subjici queat, nisi id antea Parochus ipse vel Delegatus Noster scripto exaratum perlegerit atque subsignerit. De iis vero, quæ noviter proponuntur a quovis ex congregatis, sciscitetur tantum per suffragium, an tractari debeant in subsequenti congregatione.

10. In generalibus hisce comitiis Prior, Administratores, et Officiales ex prudentioribus et magis assiduis

eligantur ad annum duraturi, ea tamen lege, qua per quatuor successivas congregationes generales confirmari possint pluralitate suffragiorum præsentium Confratrum. Attamen in congregatione quæ habebitur labente novissimo cujusque quinquennio, nemo ex Prioribus confirmari poterit, nisi per licentiam a Nobis expresse datam.

11. Teneantur in unaquaque anniversaria congregatione generali Administratores Sodalitatis SS. Sacramenti libros, in quibus accepta et expensa exponuntur, accurate præscriptos proferre, et adprobationi congregatorum submittere, Nobisque, si jusserimus, exemplum authenticum intra mensem a congregatione subjicere.

12. Supplicationibus generalibus sive Processionibus, ceterisque probatis et usu receptis Ecclesiæ functionibus, habitu suo induti, modeste et religiose intersint Confratres SS. Sacramenti; iis præsertim quæ fiunt in ejusdem SS. Sacramenti honorem et cultum.

13. Omnibus diebus festis Sodalès SS. Sacramenti, seclusis horis ad Missam solemnem celebrandam, ad Concionem, et Catechesim habendam, ad Vesperarum officia canenda, et ad alias publicas preces obeundas in ecclesia parochiali adsignatis, in propria oratoria se recipiant statis temporibus, ut piis exercitationibus vacent, quas regula adprobata, consuetudo laudabilis, vel auctoritas Nostra induxerint; ea insuper lege, quod si in ecclesiam ipsam parochialem, vel in locum eidem ecclesiæ adnexum confratres ad hæc peragenda sese recipere soleant, neque a quibusvis exturbentur, neque ipsi cantu, organo, aliove modo Parochum aliosque Sacerdotes Sacrum facientes, sive Sacramenta administrantes, aliave ad ministerium pertinentia agentes vel minime perturbent.

14. Exceptis casibus peculiari indultu, decreto, vel legitima conventionē, auctoritate Nostra roborata, præfinitis, Parochorum erit Missas, Vesperas solemnes celebrare, SS. Eucharistiæ sacramentum exponere, et cum eodem populo benedicere, prævia facultate Nostra, in oratoriis Sodalitatum laicorum; nec quivis Sacerdos, invito Parocho, hujusmodi functiones in oratoriis Sodalitatum obire præsumat. Nullus quoque Sacerdos, absque licentia a Nobis per supplices litteras impetrata, Cappellani munus apud quamcumque Sodalitatem assumat, sub pœna Nobis arbitraria.

15. Onera, si quæ fuerint, per Sodalitia suscepta tum ex Legatis, tum ex aliis legitimis titulis accuratissime impleantur, cura illius qui præest, eaque diligenter descripta habeantur in tabella publice exposita et affixa, notatis auctoris vel fundatoris nomine, documento publico per quod de fundatione constat, tempore et modo quibus adimplenda veniant. Tabellæ insuper habeantur expositæ, in quibus et privilegia et indulgentiæ per Summos Pontifices Sodalibus concessæ, et Sodalium nomina perspicue legantur. Horum autem notitia etiam in libro peculiari in archivio parochiali (ubi archivium Sodalitatis non existat) diligentissime servetur.

16. Sodales SS. Sacramenti albo expungere fas esto Nobis et congregationi generali tantum. Ut tamen hoc legitime fiat per congregationem generalem, in qua duæ ex tribus partibus Confratrum adesse debent, causas volumus esse notas et graves iudicio Parochi, et congregatorum præsentium suffragio saltem ad pluralitatem in expunctione concordantium. Auctoritas vero interdicendi aliquem Sodalium ab exercitio munerum Sodalitatis per annum, sed non ultra, erit penes Parochum, cui ad hoc

auctoritatem Nostram delegamus, facta ei lege ut teneatur singulos casus Nobis denunciare, nec non rationes et causas significare.

17. Sodalitatum piarum Priores intra sex menses a celebratione hujus Synodi regulas propriæ Sodalitatis accurate exscriptas ad Nos mittere curent per Parochum proprium, ut illas adprobare, confirmare, vel reformare valeamus, prout muneris est Nostri, ad majorem Dei gloriam, Ecclesiæ decorem ac fidelium ædificationem.



## CAPUT XXIV.

**DE BONIS ECCLESIASTICIS  
AC DE EORUM ADMINISTRATIONE**

1. Fideliter custodiri, sancteque administrari oportet bona ecclesiastica, quæ piâ fidelium vota sunt, pauperum patrimonia, peccatorum pretia, res Deo dicatæ.

2. Quapropter sacrosanctis Ecclesiæ legibus vetitum est istiusmodi bona immobilia, sive etiam mobilia pretiosa vendere, alienare, distrahere, permutare, aut quavis pactione obligare, statutis gravissimis pœnis adversus inobsequentes.

3. Ut documenta ad hæc bona spectantia intemerata asserventur, unaquæque ecclesia parochialis suum habeat archivium, in loco umiditate et quovis periculo immuni, sera et clavi munitum.

4. Ne piæ cujusvis nominis foundationes quidquam detrimenti patiantur, districte vetamus chirographa, instrumenta, libros, testamenta, tabellas aliasve scripturas in quibus extant tituli, jura, rationes, onera sive Beneficii, sive Cappellaniæ, sive Legati aut cujusvis dispositionis ad piam quamlibet Causam quovis modo distrahere, ex quovis archivio, etiam Cancellariæ Nostræ, surripere, alicui commodare, dissipare, dolose occultare. Quorum qui vel unum facere, aut mandare, aut consulere, vel aliis facientibus cooperari ausus fuerit, Ecclesiasticum pœna suspensionis

a divinis, laicum interdicti vinculo ipso facto innodatum decernimus et declaramus. Hujus autem decreti exemplar in omnibus archiviis patenter expositum, cura illius qui præsidet, servetur.

5. Beneficiorum indemnitati consulentes, ad normam ordinationis Synodi Prov. Med. IV (*De Benef. coll. et prov.*) neminem in minori ætate constitutum canonica ad quodvis Beneficium institutione donabimus, neque a quopiam donari posse decernimus, nisi antea fuerit designata persona Nobis probata, cui honorum ejusdem Beneficii administratio demandetur: omnes vero, « quocumque sanguinis, cognationisve vinculo vel artissimo, Clerico conjunctos, » juxta mentem prælaudatæ Synodi, ab hujusmodi administratione exclusos declaramus.

6. « In posterum unum tantum Beneficium ecclesiasticum singulis conferatur, quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens (dummodo utrumque personalem residentiam non requirat) eidem conferri (*Trid. Sess. XXIV de Reform. c. 17*) ».

7. Ne hoc sacrosancti Tridentini Concilii decretum variis artibus eludi contingat, hæc statuenda ducimus: I Sustentationi satis provisum esse censendum, quando Beneficii annui fructus nitidi summam duorum millium libellarum Austriæ constituunt; nisi aliter a Nobis in singulari casu, attenta conditione personæ, pro eadem statutum fuerit: II Neminem unquam ex Sacerdotibus hujus diocesis plusquam unum Beneficium sufficiens, ut supra, ad honestam sustentationem obtinere posse in posterum, si unum ex iis non renuntiaverit (*Ad mentem Provinc. IV De Benef. collat.*): III Eum, qui Beneficium insufficiens retinet, recipere nullatenus posse aliud Beneficium intra vel

extra diœcesim, nisi hujus secundi Beneficii fructus ex se haud pertingant usque ad summam statutam (*sub num. I*) pro sufficienti sustentatione, vel nisi resignet primum Beneficium: IV Eum, qui duo possidet Beneficia, etsi forte eorum fructuum summa una simul sumpta non æquiparet taxam statutam tamquam sustentationi sufficientem, non posse aliud adire Beneficium, nisi unum ex primis resignaverit, vel a Sede Apostolica dispensationem obtinuerit (*Prov. V Quæ ad Benef. collat. attin.*).

8. Ille, qui plura Beneficia legitime secundum hæc statuta adeptus est, equidem retinere ea potest, etsi postea ex ipsis uberiores, ultra summam supra definitam, fructus excipiat.

9. Qui antehac plura Beneficia possidere cœpisset, legibus juris communis servatis, eum quidem hortamur enixe, ut supradictis regulis se conformet, sed præceptum pro casibus futuris tantum inducimus. Hortamur etiam, ne, qui emolumentis ecclesiasticis, etsi non ex pluribus Beneficiis, aliunde satis provisus est, aliud Beneficium adipisci affectet.

10. Prædia aut domus tum per Beneficiatos, tum per ceteros ecclesiasticos Administratores, nisi prævio licitationis experimento, vel nisi licentia a Nobis obtenta, semper autem contractu duraturo non amplius quam novem annorum spatio, habita cautione hypothecaria, aut saltem pecuniaria, locari non permittimus. Locari autem bona ecclesiastica iis, qui potiuntur Jure-Patronatus Beneficii, Cappellaniæ vel Legati, aut conjunctis Beneficiati vel Cappellani vel ejus ad quem spectat Legati aliorumve bonorum hujusmodi administratio, omnino vetamus. Semper etiam Documentum contractus fiat per authenticas scripturas, cum accurata mensuræ, et confinium, et ædificiorum,



et status fundi ac plantarum descriptione per peritum habita. Cautio hypothecaria omnino libera exæquare debet duplex annum locationis pretium: cautio autem pecuniaria annum saltem pretium locationis attingat. Hæc vero, quæ apud Præfecturam bonorum ecclesiasticorum in Curia Nostra solvenda præcipimus, pecunia servabitur, vel locabitur in favorem illius, ad quem de jure et æquo spectabit.

11. Animadvertant Beneficiati esse quoddam genus vetitæ alienationis, annuos redditus Beneficiorum anticipata solutione a conductoribus percipere, vel futuros fructus sive ad vitam, sive ad longum tempus alienare, recepta ab emptore per unam vel plures solutiones pecunia prædicto diuturno tempori respondente; quia damnum infertur successoribus, quibus prærepti forent tales redditus. Ideoque hujusmodi contractus vetuit atque irritavit Trid. Concilium (*Sess. XXV De Reform. c. 11*), et Benedictus XIV excommunicatione confossos declaravit (*Const. Universalis Ecclesiæ 29 Aug. 1744*).

12. Quotiescumque census cujuscumque Beneficii, Ecclesiæ, Causæ piæ ecclesiasticæ redimi contingat, vel sortis mutuatæ restitutio fieri, indicimus ejus rei certiolem faciendum esse Præfectum bonorum ecclesiasticorum, ut solutioni intersit et solutionem recipiat, et statim impendat ad fructum stabilem, vel impendi concedat.

13. Ædificia Beneficiorum sarta, tecta conserventur, et collabentia reficiantur atque instaurentur ab iis, ad quos de jure spectat: quod nisi sponte fecerint, ea reddituum parte multabuntur, qua opus fuerit, in ipsarum ædium instaurationem, Præfecto bonorum ecclesiasticorum procurandam.

14. Lapidés terminales humi fixos in confiniis prædiorum constituere, si desint, teneantur Beneficiati et

Administratores ipsorum prædiorum Beneficii, vel Ecclesiæ, vel Causæ piæ ecclesiasticæ, Præfecturæ tamen bonorum ecclesiasticorum auctoritate muniti. Jura accessus ad prædia, irrigationis, servitutis cujusvis activæ, et similia intacta servare religio sit Beneficiatis, atque ecclesiarum, et piarum Causarum Administratoribus.

15. Ne in fundis vel prædiis ecclesiasticis ædificium noviter fiat, vel existentia tollantur, neve per effossionem humi superficies notabiliter immutentur, vel deprimantur absque permissione Præfecturæ bonorum ecclesiasticorum.

16. Inhibemus etiam arbores cædere aut evellere in iisdem fundis vel prædiis absque ejusdem Præfecturæ licentia; nisi quæ ventorum vi, aut alia naturali causa aruerint vel contabuerint, aut scissæ vel a solo fuerint avulsæ. Tunc autem aliæ novellæ subrogentur, ita ut prædium non deterius fiat.

17. Si quid immobilis, vel juris circa bona ecclesiastica acquirendum, vel alienandum, sive immutandum sit, ne fiat sine Nostra licentia.

18. Si quid, per donationem, vel ultimæ voluntatis actum, Ecclesiæ vel Causæ piæ ab ecclesiasticis personis administratæ, vel administrandæ proveniat, si gravetur aliquo onere, acceptatio fiat sub conditione Nostri consensus.

19. Ne hypothecariæ oppignorationis jus in favorem bonorum ecclesiasticorum ob negligentiam renovationis amittatur, præcipimus, ut quisque Administrator proprio totius damni periculo ad id teneatur. Penes vero Præfecturam bonorum ecclesiasticorum Curia Nostræ accuratus index habendus erit omnium inscriptionum existentium in publicis libris hypothecarum, pro tuendis bonis juribusque realibus Ecclesiæ in universa diœcesi.

20. Quicumque Ecclesiæ vel Causarum piarum bona administrant, semper ac moniti fuerint, Nobis rationem reddere debent ad mentem Tridentini Concilii (*Sess. XXII De Reform. c. 9*). Quoties vero ad civilem Potestatem recurrendum erit pro quocumque negotio circa bona ecclesiastica, vel Causæ piæ, ad Nos prius res tota deferatur, ut a Nobis instructiones et mandata juri canonico conformia recipiantur de modo agendi, ne quid contra jura ex arbitrio patretur.

21. Ubi Decimarum vel Primitiarum jus in favorem Præbendæ parochialis, vel Ecclesiæ existit, Parochorum cura integrum servetur. Ideoque eos hortamur, ut, si id ex re erit, quotannis admoneant populum de earum qualitate, quantitate, et classe personarum, quæ ad eas obligantur, doceantque quid de earum solutione sacrum Concilium Tridentinum et quam pœnam contra insolventes statuerit. Earum autem regestum cum nomine persolventium quovis anno fiat a Parocho in libro apposito, qui in archivio servetur.

22. Illæ quæ ex usu legitime hodiedum existente in unaquaque parœcia tribuuntur a fidelibus eleemosynæ occasione cujuscumque sacræ functionis, et pro incommodo administrationis vel hujusmodi, augeri minui aut tolli omnino vetamus: ex caritate tamen remitti possunt singulis vicibus in casibus specialibus. Verum in iis locis ubi Oratio 40 horarum haberi solet, atque in iis in quibus erit inducenda, prætextu cujuscumque etsi inveteratæ consuetudinis, vel cujusque incommodi, ullam sive Sacerdoti, sive Clerico, sive laico ecclesiæ famulatu ad dicto eleemosynam dari districte vetamus, exceptis Concionatore et Parocho tantum pro expensis ad victum Concionatori aliive Sacerdoti aliunde accito præstandum

necessariis: quod etiam servabitur occasione Exercitiorum, vel Missionis, nisi forte eleemosyna peculiaris ex pia aliqua institutione subministretur.

23. Liber indicans emolumenta quæ percipiuntur pro quavis functione a Parocho, Sacerdotibus, et inservientibus ecclesiæ conficiatur et, a Nobis approbatione intra annum impetrata, servetur in archivio parochiali. Interim consuetudini cujuscumque loci in hoc capite insistatur; Vicarii autem Foranei querelas forte exurgentes summarie tollant absque juris præjudicio.

24. Capsæ omnes, in quibus colliguntur aut reconduuntur eleemosynæ, vel oblationes factæ pro ecclesiis, claudantur duabus diversæ formæ clavibus, quarum una apud Parochum, alia non apud Thesaurarium, sed apud alterum ex Præfectis fabricæ, servetur. Item esto de capsis quovis loco sitis pro eleemosynis ad fidelium defunctorum levamen excipiendis.

25. Quæ eleemosynæ extrahuntur a capsulis ecclesiæ, vel quovis alio modo excipiuntur, antequam Thesaurario tradantur, coram Parocho numerentur, præsentem uno saltem fabricæ Præfecto, et describantur in codice peculiari cum subscriptione Parochi, Præfecti et Thesaurarii. Codex iste semper in tabulario parochiali asservetur inspiciendus a Vicario Foraneo visitationem obeunte.

26. In ecclesiis patronalibus de jure privatorum eleemosynæ nullæ quærantur, neque capsulæ ad hoc exponantur.

27. Nemo exquirat eleemosynam pro ecclesia propria in altera parœcia, nisi ubi pactio vel consuetudo jus in contrarium induxerit; in parœcia autem propria tantum juxta consuetudinem per Nos adprobatam sive adprobandam, vel juxta leges receptas.



## DE IMPLEMENTO PIORUM ONERUM

1. Quoniam Ecclesiæ honorum administrator « si fi-  
» delis non fuerit, fraudabit; si prudens non fuerit, frau-  
dabitur (*S. Bern. Lib. IV, De Consid. c. 7*) », Nobis, quos  
constituit Dominus super familiam suam, ut indefessam  
vigilantiæ curam exerceamus, hæc statuere necessarium  
visum est.

2. Quotannis, saltem intra primum semestre, Parochi  
urbis, et diœcesis, ut eorum administrationis Nobis ratio-  
nem reddant, exhibeant Nobis ad normam tabellæ quam  
apposite trademus scriptas notitias in quibus expendatur  
quæ inter obligationes Beneficiis, Cappellaniis, Legatis vel  
ceteris piis Causis adnexas in præcedente anno expletæ  
fuerint, quæve effectu destitutæ (1).

3. Si autem remaneant eleemosynæ Missarum, quæ  
non potuerunt eodem elapso anno inibi celebrari, non dif-  
ferant ultra bimestre tradere Curia Nostræ, ut eadem cu-  
rante inibi vel alibi quam primum per Presbyteros aliunde  
non provisos celebrentur: quod si non paruerint pœnam  
pro culpa dabunt.

4. Decreto Provincialis Concilii IV (*Quæ pert. ad  
sanctiss. Missæ sacrif. etc.*) morem gerentes, mandamus

(1) Vid. Append. VII.

ut in unaquaque ecclesia in qua Missa celebratur, liber cum atramentario et calamis, impendio ipsius ecclesiæ et cura illius qui præest, perpetuo sit, in quo et anno et mense et die primum notato, unusquisque, qui quovis titulo in ecclesia Sacrificium fecerit, manu sua subscribat quo titulo Missam celebravit. Si quis ex dispensatione extra ecclesiam propriam talis tituli ad aliquot dies celebret, nedum ibi notet ubi actu celebrat, sed reversus ad ecclesiam propriam statim exprimat in dicto libro quoties, et ubi celebraverit pro tali titulo. Huic soli libro a nobis in posterum fides adjungetur quo ad probandum an Missarum onera exsoluta fuerint, numquam vero privatis documentis. Ex illo libro desument Parochi vel sacrariorum Præfecti, et summatim indicabunt in Regestis propriis Legatorum vel Beneficiorum adimplementum annuale.

5. Sacerdos, qui ausus fuerit falso adnotare Missæ celebrationem in eo libro, sit a celebrandi facultate ipso facto suspensus: liber porro a Parocho vel de ejus mandato a sacrarii Præfecto omni vigilantia custodietur.

6. Inhibemus etiam ut, qui mala valetudine a celebratione Missæ detinentur, in illo libro inscribant *ægotavi*. Si autem ex hac causa dispensatione indigeant, juxta decretum Concilii Provincialis VII (*Tit. De Missis*), a Nobis impetrent.

7. Quisque tamen Sacerdos obligationes Missarum saltem ex adventitiis stipis erogationibus, atque earundem singulis diebus explementum describat in apposito libro, quem servet exacte apud se, et Nobis quoties requiremus exhibeat.

8. Quam illis, qui altari deserviunt, eleemosynam concedit Ecclesia, apud Nos pro Missis adventitiis et Legatorum, et aliis quæ a Beneficiato celebrari fiunt, Synodalem

statuimus unius austriacæ libellæ cum viginti quinque centesimis. Ex tali eleemosyna ne minimum quidem detrahi poterit pro expensis manutentionis, quam decimam libellæ partem esse volumus, atque ecclesiis subministrari ex redditibus Beneficii, vel Cappellaniæ, vel Legati ad cujus adimplementum Missæ celebrantur; ita tamen ut Missarum numerus in actu foundationis designatus non minuatur, nisi quando redditus, prælevato impendio manutentionis, non amplius sufficiunt ad eleemosynam synodalem pro eo numero Missarum constituendam.

9. Veruntamen talem Missarum numerum privata auctoritate nec imminuere vel moderari; nec ad aliud altare, aut ad aliam ecclesiam præter statuta Nostra, vel documentorum foundationis tenorem celebrare, aut extra statutam diem; nec eleemosynas, quæ hic erogatæ fuerunt ignoto vel extra diœcesim commoranti Sacerdoti, vel communitati committere ad Sacra facienda, quin ad Nos, vel ad S. Sedem recursum habeat, ullus arbitretur sub pœna nullitatis adimplementi propriæ obligationis. Etenim Missarum numerum minuere Legatorum, qui in actu foundationis ad ratam reddituum taxatus est, ad Nos pertinet: aliorum vero numerum imminuere, etiam adaucta in Synodo taxa eleemosynæ, spectat ad S. Sedem (*S. C. Concil.* 15 Dec. 1729).

10. In quovis ecclesiæ sacrario, Parochi cura, continuo prostet patenter exposita Tabella Onera Missarum referens et aliarum Functionum quæ ortum ducunt a piis institutionibus; in eaque chyrographum foundationis sive instrumentum una cum pii Fundatoris nomine accurate et perspicue adnotetur: in archivio autem parochiali eadem in libro apposito descripta habeantur, ubi et numerus Missarum vel Functionum dies, altare in quo celebrari debent

et quantitas eleemosynæ pari diligentia et perspicuitate exprimentur. In Tabella vero piorum Onerum, quæ exposita manere debet in sacrario ecclesiæ parochialis, præter peculiare pias fundationes in eadem institutas, distincte etiam conscripta sint pia Onera in oratoriis, aut ecclesiis subsidiariis persolvenda.

11. Omnium Onerum piarum Causarum adimplementum inscribatur in libro peculiari ab eo viro Ecclesiastico ad quem spectat eorundem executio, cum indicatione diei, eleemosynæ persolutæ, ac personæ cui tributa est, nisi ex institutione vel decentia innominatis conferri debeat. Occasione autem Visitationis, hujusmodi liber exhibeatur Vicariis Foraneis, vel quibus mandatum dederimus illius ecclesiæ visitandi, in cujus parœcia pia illa Causa existit.

12. Eleemosynæ, quæ colliguntur in ecclesia parochiali, vel in parœcia, insumantur juxta voluntatem offerentium, vel juxta usum consuetum, qui nequeat immutari sine placito Nostro.

13. Oblationes et eleemosynæ, quæ fiunt in aliis ecclesiis vel oratoriis ad nullum finem præfinitum, insumantur pro expensis manutentionis, atque paramentorum et ornatus sacri ipsius loci, judicio Parochi et Præfectorum fabricæ parochialis ecclesiæ.

14. Quum in pluribus parœciis eleemosyna tribuatur ob legendam Passionem D. N. J. C. in Dominicis decurrentibus a festo Inventionis sanctæ Crucis usque ad festum Exaltationis ejusdem; permittimus ut dictæ lectioni substituatur pia meditatio de Mysteriis ipsius Passionis iisdem diebus Dominicis hora congruenti cum adsistentia Parochi vel Sacerdotis de ejus mandato, quæ fiat in ecclesia cum christifidelium interventu.



15. Testandi potestate de Beneficiorum fructibus ac bonis sacerdotio partis, qua nunc gaudent Sacerdotes, religiose et mature conscientiae vocem atque sacrorum Canonum oracula attendentes, utantur; ne si forte intestati decesserint, legitimi hæredes proventus Ecclesiae et bona paterna ac domestica promiscue habeant; illos enim in pia opera conferendos esse, eorumdem etiam nomen demonstrat.



## CAPUT XXVI.

## DE FUNERIBUS ET EXEQUIIS

1. Tum ut honoremus « corpora defunctorum, maxime-  
 » que justorum ac fidelium quibus tamquam organis et vasis  
 » ad omnia bona opera sancte usus est Spiritus Sanctus »  
 (S. Aug. *De cura pro mort. c. 3*), cum ad eorundem anima-  
 rum suffragium, ut, si quæ humanæ fragilitatis maculæ eis  
 inhæsere, citius expiatæ in æternæ beatitudinis sinu con-  
 quiescant; fidelibus non in manifesto lethali peccato dece-  
 dentibus justa persolvimus. Quippe irreligiosum est, ut ait  
 S. Doctor Ambrosius (*Lib. 2, De excessu Satyri 3, 8*), « Dif-  
 » fidere, potius quam sperare de meritis defunctorum, et  
 » pœnæ addictos, quam immortalitati debitos, quos dile-  
 » xeris, estimare ».

2. Parochus itaque, cognita alicujus ex suis morte, campanæ signum, non tamen noctu, in parochiali ecclesia, quo populi christiani pietas excitetur ad preces fundendas ad Deum pro defuncto, dari jubeat, lugubri quidem sonitu si defunctus sit septennio major, festivo si minor. Quod si Sacerdos decesserit, peculiari et aliquatenus distincto sono ejus obitus annuncietur. In Cathedrali Nostra nonnisi in morte Summorum Pontificum, S. R. E. Cardinalium, Episcoporum nec non Principum sæcularium, vel alicujus ex Canonicis ipsiusmet Cathedralis permittimus sonum majoris æris campani: in funeribus autem, id liceat, quandocumque Episcopus vel Capitulum Cathedrale intervenit.

5. Eo tempore quo cadaver insepultum domi vel alibi manet, lumen aliquod ad ejus caput parentes ardere curent in fidei symbolum, qua illustrabatur defunctus, atque custodiri faciant; non tamen semper decet alterius sexus esse custodes.

4. E domo ad ecclesiam nunquam patiantur Parochi cadaver cujuscumque deferri musicis instrumentis sonantibus, quæ tumultum magis vivorum, quam suffragium pro defunctis cieunt.

5. Meminerint Parochi se speciali modo pauperum patres esse: meminerint et illius Lazari, qui licet despectus hominibus, Angelorum tamen ministerio, quando decessit, in sinum Abrahæ deportari meruit. Quamobrem dum pauper effertur, cui nihil aut ita parum supersit, ut propriis impensis humari non possit, non desit tamen Parochus, si alius non sit Sacerdos, funebria persolvere, eum e domo ad ecclesiam comitando cum quatuor, vel saltem duobus luminibus, quæ suis impensis, si opus fuerit, ipse adhibeat; nisi hæc ab aliqua pia confraternitate, si extat, juxta loci consuetudinem suppeditentur (*Rit. Rom. De Exeq.*). Cupimus autem posthac quoslibet defunctos fideles cum cruce, luminibus, et uno saltem Sacerdote superpelliceo et stola induto ad tumulum deferri.

6. Antiquissimi est instituti ut, quoad fieri potest, Missa pro defuncto celebretur antequam sepulturæ tradatur; utque egenis consulatur, quoties eleemosynam suppeditare non possint pro Missa saltem lecta consanguinei, neque pia aliqua societas, ex eleemosynis communibus pro defunctis desumatur. (*Syn. Viglev. 1825. Vastall. 1842*).

7. Sacerdotes et Clerici vocati ad funera adsint cum veste talari, superpelliceo et bireto (*Syn. Laud. IV*): qui secus fecerit habeatur ut absens (*Syn. Mediol. XXII*).

Tempore autem pluviae vel frigoris, si longum sit iter et extra oppida agendum, permittitur ut nigrum pallium gerant superpelliceo impositum extra ecclesiam cum pileo loco bireti.

8. Eo tempore bini omnes procedant, sive eundo, sive redeundo, atque fabulis omnino parcant. Quod ut fiat, dum ab ecclesia ad domum defuncti pergendum est, recitentur vel Psalmi alicujus Nocturni, qui forte omittendi erunt defectu temporis ad feretrum, vel Psalmi pœnitentiales, aut Litanie Sanctorum cum precibus, morose quidem, si longius sit iter. In regressu autem Psalmi Laudum in Rituali præscripti recitentur vel canantur de more.

9. « Missæ eodem tempore in altaribus ita inter se » disjunctis ac separatis celebrentur, ut alter Sacerdos ab » altero non perturbetur, neque, si fieri possit, audiatur: » in quo peccari solet maxime cum Officia pro defunctis » peraguntur, cum Sacerdos unusquisque, moræ impatiens, » quid deceat ea in re nihil curat: quod si tempus eo die » non patiatur ut Missæ illæ omnes celebrentur, in alte- » ram potius diem differantur aliquæ, quam ut salubri » huic decreto non pareatur (*Prov. IV, Quæ pert. ad SS. » Missæ Sacrif.*) ».

10. In ecclesia ad feretrum defuncti, etiam in funere pauperum, Invitatorium cum primo saltem Nocturno recitetur.

11. Meminerint Sacerdotes et Clerici in choro Officium persolventes pausam ad asteriscum in versiculis Psalmorum esse faciendam, omniaque concinne, graviter, et devote esse peragenda, ne cum opus Dei negligenter faciunt, divinam sibi maledictionem conquirant. Ideoque districte præcipimus, ut in Officio cum cantu unius ex Nocturnis et recitatione Laudum, etiam omisso Invitatorio, dimidium horæ

vel saltem vigintiquinque minorum spatium insumatur. De quo, sicut et de plena sacrarum cæremoniarum observantia etiam circa ordinem genuflectendi, sedendi et standi conscientiam Parochorum oneramus, quibus auctores sumus ut Sacerdotes Clericosve, quos post primam et secundam monitionem a festinatione et indevotione non emendari perspicient, a Funeribus et Officiis omnino excludant.

12. Officia mortuorum, quæ ex oblationibus communibus ad hoc a fidelibus factis celebrantur in quavis parœcia, numquam liceat persolvere paucos intra dies, sed ita separatim, ut, ad ratam ordinariam oblationum, semel aut bis in quavis hebdomada, stato quoad fieri potest die, celebrentur. Parochus vel Proparochus qui secus fecerit privationis distributionum reus erit. Eadem Officia qua hora frequentior populus interventurus prævidetur, si nihil obstat, celebrentur.

13. Eleemosyna consueta numquam persolvatur absentibus, nisi sint Sacerdotes parœciæ pro cura animarum eo temporis ex necessitate distenti: numquam vero in ecclesia vel cæmeterio, sed loco remoto a conspectu populi distribuatur (*Prov. IV De funerib.*).

14. Si cæmeterium parœciæ existat intra limites alterius, liceat in funere per intermedias transire parœcias cum cruce et agmine Cleri ac populi, per viam brevioram et consuetam, nulla a quoquam venia petita.

15. Ut autem a parœcia, in qua decessus evenit, ad propriæ parœciæ ecclesiam et cæmeterium transferatur cadaver, corpõris, ut ajunt, taxa consueta tantum solvenda est Parocho cujus effertur parœcia, ac Parocho ad cujus parœciam adfertur, nulla vero ceteris vel eleemosyna solvenda, vel ex iis licentia petenda erit.

46. *Quibus non liceat dari Ecclesiasticam sepulturam*, cum Rituale Romanum apertis verbis edicat, ad illud Parochos remittimus. Neque eos latebit, quod nec fideles latere sinent, excommunicationem reservatam Episcopis incurrere illos, qui hæreticos, hæreticorum fautores, publice excommunicatos, suicidas, nominatim interdictos, et manifestos usurarios scienter sepeliunt in loco sacro (*Decretal. C. Quicumque, De hæret. Et Clementin. 1. De sepult. in Actib. Eccl. Mediol. part. 4. Casus Episc. reservati num. 29 et 41*): item eos graviter peccare, qui audent vel comitari funus, vel suffragia ecclesiæ, vel sepulturam ecclesiasticam præstare ceteris, quibus rituale Romanum dari non licere declarat.

47. Ut autem omnes ab hoc scelere caveant, præcipimus Parochis, ut statuta hæc, ac interminatas in reos pœnas enuncient quotannis fidelibus Dominico vel Festo die intra mensem Januarium saltem in majoribus parœciis.

48. Quoties prudens manet dubitandi ratio, an cadaver sit ecclesiastica sepultura privandum, quantocius ad Nos Parochus mittat, ut Nostram habeat sententiam: sin vero res moram non patiatur, consilium saltem Vicarii Foranei exquirat et sequatur.

49. Funebres orationes in ecclesia vel cæmeterio, civitatis etiam, ob insignia alicujus defuncti merita, Nobis inconsultis, non habeantur: oratio vero ipsa priusquam enuncietur Nobis exhibenda est (*Prov. I De funerib.*); in diœcesi autem res tota Vicario Foraneo deferatur; nunquam vero intra Missam de Requiem nec orationes funebres, nec conciones haberi licet (*Rit. Rom. et Prov. IV, De Verbi Dei prædic.*).

20. In vocandis Sacerdotibus ad funera, exequias et anniversaria præferantur semper qui sunt de gremio ecclesiæ

(quales sunt Beneficiati eidem addicti), inter quos comprehendimus etiam Coadjutores in cura animarum; deinde vocentur Confessarii ac demum ceteri, servato ordine antiquioris famulatus ecclesiæ præstiti, dummodo tamen prædicti desides non sint in ecclesiæ servitio, et in adeunda Schola Doctrinæ Christianæ; tunc enim diligentiores præeligendos esse decernimus. Excipimus ab hac lege ministros choro addictos in Cathedrali Nostra, pro quibus militat dispar ratio (*Syn. Laud. IV, De Doct. Christ.*). Hanc Synodi Laudensis VII ordinationem renovantes ac confirmantes, statuimus ne quis a funeribus et officiis defunctorum eos excludere, aut prohibere audeat eos quibus per hoc statutum jus interessendi tribuitur, nisi de sententia Ordinarii, cui causa exclusionis probanda reservatur.

24. Parocho mortuo, successor immediatus quotannis in anniversario pro eo Missam celebret in cantu, cui ceteri de ecclesia inserviant gratis (*Proc. VI, Quæ ad funer. pert. Syn. Laud. IV, De funer.*).

---

## CAPUT XXVII ET ULTIMUM.

## DE SYNODALIUM CONSTITUTIONUM OBSERVATIONE

1. Nobis qui pervigilamus quasi rationem reddituri pro animabus hujus Nostræ diœcesis, in his omnibus, quæ in hac Synodo vel præcipientes in nomine Domini, vel suadentes *per exhortationem qua exhortamur et ipsi a Deo* personis cujusque conditionis sive clericalis, sive laicalis proposuimus, obedientiam præsent omnes et singulæ, memores illius: *Qui custodit mandatum, custodit animam suam (Prov. XIX, 16)*; idque faciant corde magno et animo volenti, animas suas *castificantes in obedientia caritatis (I Petr. I, 22)*: idest hæc Decreta servantes non tantum timore pœnæ, sed potius amore justitiæ, ne parum agant, cum multum agere videntur.

2. Etsi autem optemus hæc Decreta statim executioni mandari, tamen ea obligare intendimus tantum post mensem, quo typis evulgata erunt, nisi longius tempus in iisdem Decretis concedatur. Itaque omnes et singuli sacris Ordinibus initiati, vel Beneficium ecclesiasticum in Nostra diœcesi obtinentes, statim ac Decreta hæc Nostra typis impressa et evulgata fuerint, eorum exemplar teneantur sibi comparare, assidueque legere, ut tum ipsi servent, tum aliis, prout opus fuerit, servanda proponant. Hortamur etiam ut quotannis, quoadusque nova Synodus



coadunetur, ab initio usque ad finem quisque Sacerdos eadem Decreta diligenter legat, ne eorumdem oblivio culpabilis fiat violationis occasio. Quisque vero Parochus teneatur publicare fidelibus in Dominicis vel Festis diebus in calce hujus Synodi notatis Decreta ibi peculiariter assignata (1).

3. Declaramus autem hisce Nostris Synodalibus Decretis nihil esse detractum illis, quæ in Visitatione particularium ecclesiarum ediximus, vel in præcedentibus Synodis constituta sunt, nisi in iis, quibus per hæc nova Decreta expresse derogatum, vel quidquam immutatum fuit.

4. Nobismetipsis quoque ac Successoribus Nostris facultatem reservamus has leges interpretandi, aut ab ipsis, prout expedire censuerimus, dispensandi, dum Ordinariæ potestatis Nostræ limites non excedant. Dubiis vero circa intelligentiam Synodi in iis quæ explanationem forte exigent, quæ in Domino ex re esse judicabimus responsa trademus.

5. Profitemur interea omnia plane ac singula monita et mandata, quæ hisce Synodalibus constitutionibus comprehenduntur, per Nos subjici ex intimo mentis obsequio et volenti libentissimoque animo auctoritati, correctioni, ac iudicio Apostolicæ S. Romanæ Ecclesiæ, quæ est columna ac firmamentum veritatis, et Summi Pontificis Pii IX, quem D. O. M. sospitem diu servet, ejusque in regimine Ecclesiæ Catholicæ Successorum; — *hæc enim regula Nobis est: In æternum juxta Romam.*

---

(1) Vid. Append. VIII.



**ALLOCUTIONES**  
**HABITÆ IN SYNODO LAUDENSI**  
**OCTAVA**



# ALLOCUZIONE

DI MONSIGNOR VESCOVO ILLUSTRISSIMO E REVERENDISSIMO

## GAETANO CONTE BENAGLIO

NELL' APRIMENTO DEL SINODO OTTAVO

---

**C**ompiuta coll'ajuto di Dio la visita Pastorale di questa Nostra diletta Diocesi, ne abbiamo dato relazione alla Santa Sede Apostolica con lode verace al vostro zelo, Venerandi Sacerdoti, ed alla fede e pietà del popolo alla nostra cura affidato. Sua Santità il Sovrano Pontefice, nell'attestarci con paterna bontà la sua soddisfazione, ci ha espresso il desiderio che, non essendovi ora più ostacolo che lo impedisce, Noi dessimo opera alla celebrazione di questo Sinodo Diocesano, che oggi si apre nel nome del Signore.

Fu questa, egli è vero, una esortazione del Santo Padre, piuttosto che un comando; ma fu appunto questa moderazione, questo temperamento paterno, che porta la Santa Sede a non usare del suo diritto con tutto rigore, che mi ha vivamente commosso e determinato a compiere i suoi desiderii come se fossero un comando: avvegnachè sommaramente importa che l'Autorità Suprema sia rispettata ed obbedita anche in ciò di cui mostra solo desiderio, onde non sia punto mai compromesso, nè menomamente attaccato il grande principio che costituisce tutta la forza della Chiesa.

Allo stimolo di questa esortazione del Sommo Pontefice, si aggiunse quello del vantaggio grande che dovrà derivare al popolo non meno che a noi da questa sinodale adunanza: vantaggio attestato e comprovato da molteplici e gravissime

autorità di Concilii, e di Pontefici, nonchè dalla storia. Basterebbe a confermare questa verità l'esempio del grande S. Carlo Borromeo. Con qual mezzo infatti, credete voi, abbia egli innalzato questa provincia a tanta gloria di ecclesiastica disciplina, di maniera che può, senza esagerazione, gareggiare colle più floride non solo d'Italia ma dell'orbe cattolico, se non col mezzo dei frequenti Concilii e provinciali e diocesani? Per cui io posso dirvi colle parole di un santo Pontefice ai Vescovi d'Italia: — *Persuasissimum vobis esse non dubitamus, nihil frequenti animarum recognitione, Synodorumque celebratione, populorum salutis ac veteri disciplinae constituendæ, nihil catholicorum Principum paci a Deo impetrandæ magis accomodatum esse: quibus intermissis, magna in moribus continuo ad omnem improbitatem ac peccandi licentiam facta est immutatio* —.

E parlando espressamente dei vantaggi prodotti dai Sinodi, un Concilio Provinciale di Colonia: — *In Synodis, dice: redintegratur unitas, ubi ea, quæ in visitatione non dabatur exequi, executionem studiis communibus assequuntur; ubi de capite, de membris, de fide et pietate, de religione et cultu divino, de moribus et disciplina, de obedientia et rebus omnibus ad bene christianæque rivendum tractatur atque statuitur, ut verissime in reformationis formula dicatur: salus Ecclesiæ, terror hostium ejus et fidei christianæ stabilimentum sunt Synodi; neglectis enim Synodis non aliter ecclesiasticus ordo diffluit, quam si corpus humanum nervis dissolvatur* —.

La ragione poi dei danni che provengono dalla omissione di queste sinodali adunanze vuolsi cercare nella generale condizione delle cose soggette alle umane vicende. Ogni istituto per quanto santo, ogni società e corpo morale per quanto religioso, perciò stesso che constano d'uomini, coll'andar del tempo vanno sempre in decadenza, ed è necessario di tratto in tratto richiamarli ai loro principii per rimetterli

nel pristino fervore: decadenza cui al dire del Pontefice Benedetto XIV vanno soggette anche le diocesi: — *Difficile videtur hoc tempore quo ecclesiastica disciplina quotidie consenescit et labefactatur, aliquam inveniri diœcesim cui opus non sit ulla nova constitutione, qua saltem antiquæ leges corroborentur et, quæ morum corruptela pene obsoleverunt, reviviscant.* —

Questo appunto è quanto si ottiene coi Decreti Sinodali, in cui si richiamano in vigore i Conciliari Decreti disciplinari anteriori, quelli soprattutto che nè la diversità dei tempi, nè una contraria consuetudine potrebbero giammai infermare; come sono quelli che riguardano la vita, l'onestà, la gravità, la santità del sacerdozio, l'integrità della fede, il culto divino, l'amministrazione dei Sacramenti, l'autorità della Chiesa e l'obbedienza dovuta a lei ed all'augusto suo capo il Sommo Pontefice Romano; e quelli che spettano alla cura spirituale, al buon costume ed alla pietà dei fedeli alle nostre cure affidati: Decreti e ordinamenti, che per dogmatica inferenza discendono dal diritto divino, e perciò stabiliti ed osservati sino dai primi secoli della Chiesa e non soggetti a cambiamento.

Se poi fu mai tempo nel quale tornava necessaria la convocazione di un Sinodo, egli è fuor di dubbio quello in cui viviamo: tempo il più calamitoso per la Chiesa, per la religione e pel buon costume. Tutti i Pontefici di questi ultimi tempi hanno alzato la loro voce dal Vaticano contro la dominante empietà, l'indifferenza in religione e il pubblico mal costume: la fecero sentire ai Principi Cattolici e invocarono da essi riparo e provvidenze: la fecero sentire all'episcopato e a voi, Venerabili Nostri Cooperatori, per animarci tutti a farci argine contro al torrente ruinoso della miscredenza e del mal costume, e scudo di difesa al nostro gregge contro le armi micidiali della seduzione.

Io non posso, dice un Pontefice, se non con orrore e col più profondo rammarico del mio animo, rammemorare gli errori, le falsità, le molteplici arti, le insidie, le frodi, le macchinazioni, colle quali i nemici della luce e della verità tentano di estinguere la fede, la giustizia, la pietà e l'obbedienza alle legittime Autorità, e di corrompere i costumi: questi nemici della divina rivelazione innalzando con somme lodi l'umano progresso, cercano di introdurlo con sacrilega temerità nella Cattolica Religione, quasi che ella non sia l'opera di Dio ma invenzione dell'uomo.

Ora qual rimedio può essere a tanti mali? Nessun'altro al certo più efficace di quello stabilito da Gesù Cristo nella sua Chiesa: il Sacerdozio. Sì, quel Sacerdozio al quale Gesù Cristo comunicò quella stessa missione ch'Egli avea ricevuto dall'eterno suo Padre: missione che ci costituisce mediatori tra Dio e gli uomini, pone nelle nostre mani i tesori tutti delle divine grazie, nella nostra bocca l'onnipotente sua parola: ci rende suoi rappresentanti, vicarii e coadjutori ne' due grandi oggetti che Gesù Cristo si propone in ogni atto di sua vita, la gloria di Dio e la salute delle anime. Noi siamo, o fratelli, il sale della terra, per preservare dalla corruzione dei vizii i popoli: siamo la luce del mondo per illuminare i ciechi e fuggare le tenebre degli errori: siamo colonne saldissime, dice S. Ambrogio: — *quibus innititur multitudo credentium* —. Guai, se il sacerdozio vien meno a questi gloriosi suoi titoli! Il sale scipito — *ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras et calcetur ab hominibus* —: la lucerna estinta non esala che fumo e fetore: la colonna rovesciata a terra, non è che di inciampo. Così il Sacerdozio invece di riuscire un mezzo di rimedio ai mali della Chiesa, diviene occasione che si accrescano, se quelli, che ne sono insigniti, coi loro scandali autorizzano i disordini del popolo. Poichè se egli è vero,



come è verissimo, quanto dice il Tridentino: — *Nihil est quod alios magis ad pietatem et divinum cultum instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino magisterio manciparunt* — ; è altresì vero quanto d'accordo dicono i Santi Padri, e tra questi S. Gregorio Magno: — *Si Sacerdotes fuerint in peccatis, totus populus convertitur ad peccandum: nullum puto ab aliis majus præjudicium quam a Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit.* —

Colpito da questa dolorosa verità un dotto e zelante Vescovo della Francia diceva al suo Clero: D'onde pensate voi che derivi il libertinaggio del secolo, la decadenza dei costumi, l'indebolimento della fede e della pietà nella Chiesa? Dalla tiepidezza e dalla infedeltà dei Sacerdoti. Noi siamo sempre la prima sorgente dei disordini e della dimenticanza della legge di Dio fra gli uomini; i mali della Chiesa vengono d'ordinario dai nostri peccati. Perchè più non si prega tra il vestibolo e l'altare, perchè i nostri voti tepidi e languidi, e talvolta ancora contaminati non valgono più ad aprire il seno delle divine misericordie, perchè la Chiesa manca di mediatori ferventi, santi ed accreditati: — *propter hoc*, lamentava S. Gregorio, *propter hoc res nostræ jactantur et concutiuntur, propter hoc fines orbis terræ bello et suspicione flagent.*

Per questo il sopra lodato Pontefice, dopo aver descritto i disordini che affliggono la Chiesa, non trova altro riparo che di rivolgersi agli unti del Signore: e siccome, egli dice, nulla avvi che possa maggiormente indurre gli altri fedeli alla pietà, alla santità dei costumi, al culto ed all'amore di Dio, quanto la vita e l'esempio di quelli che sono consecrati al Divino Ministero; così vuole il Pontefice, che noi con somma cura ci adoperiamo perchè nel Clero e nei Sacerdoti risplenda

la gravità dei costumi, l'integrità della vita, la santità dell'esempio, la sana dottrina e quella unità e fraterna concordia, sì caldamente raccomandata dal Divino Maestro a' suoi Apostoli in quel discorso ad essi tenuto la vigilia della sua morte, che è come il suo testamento. Questo è quanto confidiamo nel Signore di ottenere nella presente sinodale adunanza.

La vostra docilità e prontezza nel corrispondere alle nostre domande; i suggerimenti, i consigli, anche lo studio, e la fatica da molti di voi sostenuti al compimento di quest'opera; il ritiro spirituale che con generale edificazione le avete fatto precedere, le pubbliche preghiere di tutta la Diocesi, la frequenza del popolo ai Sacramenti, l'Indulgenza concessa dal Sommo Pontefice, i lumi che abbiamo invocato dallo Spirito Santo, l'ajuto che imploriamo dalla SS. Vergine nel cui tempio siamo raccolti, l'intercessione dei nostri Santi Protettori Bassiano ed Alberto ai quali in questi giorni prestiamo un culto straordinario e solenne, e l'intervento del nostro Arcivescovo, tutto ci fa sperare un felice e salutare risultato.

Perciò io chiudo il mio discorso, esortandovi colle parole dirette da S. Carlo in simile occasione al suo Clero. — *His excitatis rationibus, fratres, in hac sancta tractatione synodica, non remisse, non leviter, non negligenter, non dissimulanter, sed sincere, sanctaque sollicitudine, Deum solum spectantes perficiemus, duce Spiritu Sancto, omnium actionum moderatore, cui gloria et honor in sempiterna sæcula. —*

— *Domine Jesu Christe, qui Apostolis tuis in uno loco congregatis Spiritum Sanctum tuum misisti, nobis quoque hodie in nomine tuo in unum convocatis adesto, quæsumus, mentes nostras divini tui luminis splendore illustra, bonitate fove, sapientia rege, ut officia et munera nostra ita salubriter assequamur, ut tandem nos et fideles Diocesis nostræ unum in te effecti sempiterna gloria in te uno Deo perfruamur. Amen.*

# ALLOCUZIONE

DI MONSIGNOR VESCOVO ILLUSTRISSIMO E REVERENDISSIMO

## GAETANO CONTE BENAGLIO

NELLA SECONDA SESSIONE DEL SINODO OTTAVO

---

A Voi, o Venerabili Fratelli e Cooperatori Nostri in questa porzione della vigna del Signore, che a noi è affidata da coltivare; a voi rivolgiamo di nuovo la nostra parola in queste unioni sinodiche, che teniamo nel nome di Dio e sotto gli auspici della gloriosa sempre Vergine Maria Immacolata e dei Santi tutelari, le ceneri dei quali riposano in questo tempio, siccome caparra dolcissima di valida protezione. Il nostro cuore è ripieno di speranza che il Signore si degnerà di benedire all'opera nostra e di farla fruttare alla gloria e al bene di questa diletta Diocesi. Noi lo preghiamo e lo pregheremo sempre con tutta l'anima. Ma la nostra speranza dopo di lui riposa in voi, perocchè il Sacerdozio è il solo che possa coll'ajuto di Dio rimediare ai mali che affliggono la Chiesa. Di questi i più dannosi sono le massime anticattoliche e mondane che hanno invaso la mente di non pochi, e la depravazione dei costumi che ne è derivata. Ora per distruggere queste massime non può esservi mezzo più efficace di quello adoperato

da Gesù Cristo per convertire il mondo e da lui comandato a' suoi Apostoli ed ai loro successori, voglio dire la predicazione del Vangelo. Di questa disse l'Apostolo: — *Placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes* (I. Cor. I. 24) —. Essendo adunque il Sacerdozio costituito da Dio depositario della sua dottrina e rivestito di una missione divina per annunziarla, è il solo che possa rimediare ai mali che affliggono la Chiesa. Gli errori d'ogni maniera, le false massime del mondo e l'incredulità da Dio si chiamano tenebre, e le tenebre non possono essere dissipate che dalla luce: e noi, o Dilettissimi, noi siamo la luce del mondo: — *Vos estis lux mundi* —, noi siamo il sale della terra: — *Vos estis sal terræ* —, destinati a preservare i fedeli dalla corruzione dei vizii.

Ma perchè la parola di Dio che noi annunziamo dal pulpito o dal confessionale sia veramente luce e sale, è necessario prima di tutto che non sia falsata da concetti profani o da mondana filosofia; ma sia come dice S. Paolo: — *Sermo meus et prædicatio mea, non in persuasibilibus humane sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis; ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei* (I. Cor. II. 4, 5) —.

In secondo luogo è necessario che chi parla abbia autorità e concetto presso il popolo, quale ambasciatore di Dio. Ma questa autorità e questo concetto non si acquista che con una condotta in tutto ecclesiastica ed esemplare. Chi predica verità alle quali contraddice colla sua condotta, è un cembalo senza armonia: egli invece d'essere accolto come ambasciatore di Dio, è motteggiato quale impostore; tradisce il suo ministero e si merita il divino rimprovero: — *Quare tu enarras justitias meas et assumis testamentum meum per os tuum?* (Psal. 49) —.

È dunque necessario che tutto il Clero sia irreprensibile ed esemplare nella sua condotta. Dico tutto il Clero, perchè formando noi un corpo solo, soggetto alle stesse leggi e discipline, gli scandali anche di pochi fanno cadere il discredito su tutto il corpo e sul ministero che esercita. Temeva anche S. Paolo, che il cattivo esempio di pochi Corinti potesse avvilire il suo Apostolico ministero, e perciò scrivea a loro: — *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum* (II. Cor. VI) —. Anzi Gesù Cristo medesimo ha giudicato necessario il suo esempio a confermare ed avvalorare la sua dottrina e però provocava spesso i suoi discepoli alla sua imitazione: — *Discite a me: — Exemplum dedi vobis ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.* — E l'Apostolo S. Pietro parlando della passione di lui, dice: — *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum.* —

Come era stata fondata la Chiesa, così volle Gesù Cristo che si perpetuasse sino alla fine dei secoli parimenti coll'insegnamento della sua dottrina e coll'esempio di quelli, che ha costituiti in terra suoi vicarii ed insigniti del suo sacerdozio; ai quali nella persona de' suoi Apostoli ha detto: — *Vos estis lux mundi.* — Le quali parole indicano non tanto la luce dell'insegnamento, quanto la luce del buon esempio che si diffonde colle opere sante, secondo che lo stesso Gesù Cristo disse: — *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona* —.

Ogni Sacerdote adunque per divino precetto è fiaccola posta sul candelabro, — *ut luceat omnibus qui in domo sunt.* — Questa casa è la santa Chiesa, come spiega l'Apostolo: — *Christus tanquam filius in domo sua: quæ domus sumus nos* (Hæbr. III. 6) —. L'Apostolo in più luoghi delle sue lettere raccomanda questo dovere agli Ecclesiastici,

a Tito — *Esto exemplum fidelium* —; a Timoteo — *In omnibus praebe teipsum exemplum bonorum operum* —; a tutti — *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros* —; *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* —. Il che vuol dire: mostrarsi, farsi vedere, comparire in tutta la nostra esteriore condotta, esemplari e senza macchia veruna — *sicut decet sanctos* —. Quella decenza, diceva uno zelante vescovo della Francia al suo Clero, *quella decenza medesima, quella stessa circospezione e gravità con cui ci presentiamo agli altari, deve seguirci dappertutto: e siccome in ogni luogo siamo gli inviati di Gesù Cristo, così dobbiamo sempre sostenere la dignità di questo carattere; diversamente diventiamo Sacerdoti di commedia.*

Quindi il precetto che l'Apostolo S. Pietro dà a tutti i Sacerdoti e Pastori di anime: — *Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum.....: neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo* (I. Pet. 5) —. Ed ai Tessalonicesi S. Paolo: io poteva, dice, comandarvi ed obbligarvi con rigore, ma ho giudicato meglio di eccitarvi col mio esempio: — *Non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos* (II. 5, 9) —. Laonde il Tridentino, le di cui parole dobbiamo venerare come dettate dallo Spirito Santo, nella Sess. XXII ci fa conoscere la necessità ed il vantaggio del buon' esempio dei Sacerdoti: — *Nihil est quod alios magis ad pietatem et divinum cultum instruat, quam eorum vita et exemplum qui se divino ministerio manciparunt; in eos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ut ex eis sumant quod imitentur* —. Spiegando poi il Santo Concilio in quali cose dobbiamo dare buon' esempio, dice: — *Quapropter sic decet clericos*

*in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus, nil nisi grave, moderatum et religione plenum præseferant.* — E nella Sess. XIV avea detto: — *Monebunt propterea Episcopi suos clericos in quocumque ordine constitutos, ut conversatione, sermone, scientia commisso sibi Dei populo præeant.* —

L'esempio, dice S. Agostino, — *est assiduum prædicandi genus; plus clamat vita quam lingua.* — Un Sacerdote, un Parroco, quanto bene non fa col suo esempio virtuoso? Basta che egli si mostri in pubblico per essere di edificazione: i suoi costumi e la sua condotta irreprensibile sono una continua predicazione al suo popolo, e crescono autorità ed efficacia alla sua parola sul pulpito, nel confessionale, nelle private esortazioni: anche il solo suo aspetto è una efficace ammonizione e correzione, come dice S. Ambrogio: — *Plerisque justi aspectus admonitio correctionis est.* —

Il dovere adunque di dare buon esempio per divino precetto è di tal maniera unito allo stato sacerdotale, che qualunque anche semplice Sacerdote, il quale nella sua condotta non sia esemplare, deve ritenersi fuori di strada per l'eterna sua salute.

E qui sono da osservarsi due cose: primieramente che per essere esemplare un Sacerdote non basta che si astenga da gravi mancanze; non basta che non sia nè intemperante, nè avaro, nè collerico, nè vendicativo, nè superbo, nè disonesto o mondano: nè, il buon'esempio è cosa positiva: — *Ut videant,* dice Gesù Cristo, *opera vestra bona;* — nè si può dare buon'esempio se non coll'esercizio e colla pratica delle cristiane virtù e coll'attendere alla santità propria dello stato sacerdotale.

Quando l'Apostolo raccomanda a Timoteo e a Tito di essere esemplari, suggerisce loro il modo; la pratica cioè delle buone opere e di tutte le virtù cristiane e sacerdotali. A Timoteo dice: — *Esto exemplum fidelium* —. In che cosa? Aggiunge e dichiara: — *In verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate* (I. 4, 12) — *Sectare justitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, mansuetudinem* (I. 6, 11) —. E a Tito: — *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate; verbum sanum, irreprehensibile, ut is qui ex adverso est, vereatur nihil habens malum dicere de nobis* (II. 7, 8) —.

È da osservarsi in secondo luogo, che mancando noi anche in cose le quali per sè stesse e nei secolari non sarebbero che leggeri colpe, gravi e scandalose possono divenire nei Sacerdoti; laonde il Tridentino comanda ai Sacerdoti di evitare — *levia etiam delicta quæ in ipsis maxima essent* —. Ne danno la ragione il Pontefice Innocenzo III e S. Gregorio, dicendo: — *Plerumque quod in laicis culpa non est, hoc crimen est in sacro ordine constitutis, quia peccata Sacerdotum maxima judicantur, tum propter officii dignitatem, tum ob perversitatem exempli: multa hinc sunt laicis venialia, quæ mortalia sunt clericis* —

Da questa verità derivano due pratiche conseguenze: la prima che si troverebbe in un funestissimo inganno quel Sacerdote il quale volesse misurare la condotta di sua vita coi precetti e colle regole generali e comuni ai secolari; e perciò esporrebbe, al dire di S. Agostino, a pericolo la propria eterna salvezza: — *Quia, dice il Santo Dottore, si mortalia pro venialibus accipiantur, mortis æternæ periculum incurritur* —: la seconda, essere molto facile che un Sacerdote dia cattivo esempio anche con



difetti, che di loro natura sembrano leggieri. Quell'attacco, per esempio all'interesse ed alla roba, quei risentimenti e trasporti di collera, quei discorsi poco misurati, quelle scurrilità e buffonerie, quel vestir vano non secondo le sinodali prescrizioni, quel troppo familiarizzarsi con secolari di ogni colore, e prender parte con essi a' sollazzi e spettacoli mondani, quel coltivare relazioni con persone di sesso diverso, non si direbbero per sè stesse colpe gravi; ma le conseguenze, che ne derivano in quelli che ci osservano, sono gravi — *propter perversitatem exempli*. — I fedeli ne restano scandolezzati, si dà motivo a sospetti, mormorazioni e dicerie: — *Non aliunde*, dice un Concilio di Aquileja: *clericalis ordinis dignitas fuit offensa, quam a nimia laicorum frequentia* —. Certe parole, dice S. Bernardo, che nei secolari sono semplici scherzi, diventano bestemmie *in ore Sacerdotis*. E l'Apostolo ordinò a Timoteo: — *Profana autem et vaniloquia devita, multum enim proficiunt ad impietatem* (II. 2, 16) —. Certe relazioni con donne, che per non essere giustificate dal bisogno o da uno stretto dovere di convenienza, riescono sospette, si scusano col dire: io non faccio nulla di male: non ho cattiva intenzione. A questa frivola scusa risponde S. Bernardo: mormorano di te — *rustici in agris, otiosi in plateis, ebriosi in tabernis, mulieres domi te lacerant, et tu continens vis putari? Esto ut sis, sed ego suspicione non careo: scandalo es mihi, scandalizas Ecclesiam, et si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in aeternum*. — Il criticare certe regole disciplinari, come statuti del Medio Evo, non sembra gran male; ma S. Carlo dice a questo proposito: — *Si qui Sacerdotes mali, hos devita* —: e quali sono? — *Dicentes: ad quid tot reformationes, ad quid tot constitutiones et statuta? Vae hujusmodi Sacerdotibus* —.

In cosa specialmente dobbiamo noi dar buon'esempio? Nella chiesa, e nelle sacre funzioni e soprattutto nel celebrare la santa Messa. È abbastanza noto il rimprovero di S. Pietro d'Alcantara ad un Sacerdote indivoto nel celebrare il divin Sacrificio. Questo stesso rimprovero meritano quelli tutti che celebrano la santa Messa con precipizio, con divagamento, sconciando le cerimonie. È questo uno strapazzo della cosa più santa, strapazzo che non solo scandolezza, ma giunge persino a compromettere, in chi assiste, la fede nella reale presenza di Gesù Cristo e fa loro dubitare della fede del celebrante. Questo tremendo e salutare Sacrificio deve essere da noi celebrato in modo che riesca di edificazione agli astanti, e il popolo fedele ravvisi in noi che celebriamo il principale Sacerdote Gesù Cristo che si immola, di cui siamo Ministri in questo augusto Mistero.

Questo esempio che noi dobbiamo dare ai fedeli per divino comandamento, che cresce l'efficacia dei ministeri sacerdotali; questo buon'esempio lo aspetta da noi la Chiesa, lo esigono il decoro del nostro ceto, la santità ed eccellenza del nostro grado, il bene del popolo fedele: lo aspettano questa Città e questa Diocesi: — *Hoc denique, conchiuderò con S. Carlo, efflagitat Christus Jesus, qui oves pretioso sanguine suo redemptas nostræ fidei, curisque nostris et laboribus commendavit et concredidit, ne si culpa, aut negligentia nostra oves diripi et perire patiemur, sanguinem earum de manu nostra requirat.* —

— *Gratia Domini Nostri Jesu Christi, et caritas Dei et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.* —

---

# ALLOCUZIONE

DI SUA ECCELLENZA REVERENDISSIMA

**BARTOLOMEO CARLO CONTE ROMILLI**

**ARCIVESCOVO DI MILANO**

PER LA CHIUSURA DEL SINODO OTTAVO DI LODI

---

Il Sacerdote chiamato nella sorte del Signore deve esser santo, il Sacerdote costituito maestro in Israele deve risplendere di luce siffatta, che gli uomini veggano le sue opere buone e ne rendano gloria al loro Padre che è nei Cieli. Ma che si richiede perchè il Sacerdote arrivi a quella esemplare santità, che Iddio gli impone, e che i laici a buon diritto esigono da lui? Rispondo brevemente, o Fratelli: che sia fornito dello spirito di sua vocazione, ossia dello Spirito Ecclesiastico. Perchè non tutti i discendenti d'Israele erano veri Israeliti? Perchè moltissimi di loro fedeli osservatori della lettera della legge, non ne avevano, al dire di S. Paolo, lo spirito. Perchè non tutti i Cristiani sono veri Cristiani? Perchè molti di essi non hanno lo spirito dell'Evangelo. Non altrimenti non tutti i Sacerdoti sono veramente tali, non tutti onorano Dio, nè edificano il prossimo colla santità, perchè non tutti sono animati dallo Spirito Ecclesiastico. Volete dunque, o Venerabili Fratelli,

mantenervi costantemente siccome lucerne ardenti al cospetto di Dio, e splendenti agli occhi degli uomini? Formatevi e crescete allo Spirito Ecclesiastico. Rispettabili Sacerdoti, che pronti alla voce dell'infaticabile e sapiente vostro Pastore vi riunite in un Sinodo, che formerà la vostra gloria e quella della Diocesi, oh! quanto riempite il mio cuore di gioja verace! Perdonate quindi che, non per crescere stimoli a chi già corre animoso le vie del Signore, io vi favello così, ma perchè mi onoro di trovarmi fra voi, ma perchè mi reputerò felice, se potrò aggiungere anche solo un granello d'arena alla fabbrica di Tempio sì bello.

Che cosa è lo Spirito Ecclesiastico?.... Ben definirlo è lo stesso che provarne la necessità, e mostrare i molti, e singolari vantaggi, che ne derivano. È desso dapprima un'alta stima della vocazione e della dignità del Sacerdote, dei doveri ch'egli assume, delle funzioni che esercita, del Ministero che adempie, e persino dell'abito di cui si veste. E qui notate, o Venerabili Fratelli, che il Sacerdote animato dallo Spirito Ecclesiastico non fa distinzione tra doveri e doveri, tra funzioni e funzioni, tra ministero e ministero, nè: l'ultimo angolo del Santuario, l'infimo grado del Clero, il più semplice rito, il canone meno importante, tutto si offre e nobile e grande per lui, tutto ottiene la sua stima, perchè raggio di quel sole che porta nell'anima dal di che ricevette l'imposizione delle mani, e il carattere di Sacerdote. Per esso nulla è più stimabile del suo altare, della sua tonsura, del povero, ma sacro, suo sajo.

Qual è il concetto che noi abbiamo delle cose, tale è d'ordinario l'affetto che in esse poniamo: come l'intelletto giudica, la volontà ama. Lo Spirito Ecclesiastico adunque è un amore sincero, ardente della vocazione sacerdotale, o per dirlo altrimenti dello stato ecclesiastico, e di tutto ciò,

che lo costituisce, sia un Sacerdote investito di pingue beneficio, occupi un posto elevato, vada tra gli altri distinto di cospicue dignità, ritragga dall'esercizio del suo ministero stima, riverenza, onori: guai, se egli manca dello Spirito Ecclesiastico. Le rendite, l'elevatezza del grado, le distinzioni, la gloria, rapiscono il suo cuore, e lo rendono servo dell'avarizia, della superbia, dell'ambizione. Non è così, se sia da quello spirito animato. Egli ama di un'unico amore non la prelatura, ma il divino carattere che gli splende nell'anima; non la prebenda, ma l'uso che può farne pel culto di Dio, e il sollievo dei poveri; non gli applausi delle popolazioni, ma la loro docilità; non le mense peregrine, ma il breviario, la bibbia, il tempio, il pergamo, il tribunale di penitenza. Ponete questo Sacerdote in città o in campagna, in cima ad un monte o in fondo ad una valle, in mezzo ai fanciulli per il primo catechismo o fra gli adulti onde spezzare il pane della parola di Dio, nelle aule dei ricchi o nei casolari dei poveri, il suo cuore è pago egualmente, perchè sente dovunque ed ama d'essere il Ministro di Dio.

Quali sono i nostri giudizi, quali i nostri affetti, tali sono pure le nostre disposizioni rispetto all'operare. È dunque lo Spirito Ecclesiastico in terzo luogo una profonda abituale disposizione d'animo d'attendere all'acquisto della perfezione propria dello stato sacerdotale, e di adempiere le obbligazioni, che il sacro ministero ci impone verso Dio, verso noi stessi, e verso il prossimo. Pesate bene, Venerabili Fratelli, queste ultime parole, e vi formerete il più adeguato concetto dello spirito d'orazione, perchè il Sacerdote è scelto fra tutti a far sulla terra, quel che gli Angioli in cielo, ed è costituito mediatore tra il popolo e Dio. Lo Spirito Ecclesiastico è spirito di mortificazione e di

penitenza, perchè il Sacerdote deve offrirsi alla divina Giustizia non solamente pe' suoi peccati, ma eziandio per gli altrui; è spirito di umiltà e di obbedienza, perchè il Sacerdote è tanto innalzato, non per esser servito, ma per servire, e quanto più per dignità si leva sopra il popolo, tanto più dee tenersi basso nel proprio concetto; è spirito di carità, di zelo, perchè il Sacerdote altra vocazione non ha se non quella di promuovere la gloria del Signore e la salute delle anime; è spirito di sacrificio, perchè inviato di Dio sulla terra a beneficiare, portando il peso del caldo e del giorno, e dee conoscere ad una ad una le sue pecorelle, e dar per esse la sua vita; ed è infine, per stringere tutto in poco, lo spirito di Gesù Cristo maestro degli ignoranti, consolatore degli afflitti, soccorritore dei poveri, agnello sacrificato per i peccatori.

Vedeste, o Venerabili Fratelli, che cosa sia lo Spirito Ecclesiastico, in che consista, e di quali elementi si componga, e come per esso si modelli il Sacerdote? È dunque vero, che ben definirlo, è provare la necessità, e basta che vi richiamiate al pensiero le cose fin qui dette, per rimanere convinti, che solo per lo Spirito Ecclesiastico il Sacerdote si rende santo innanzi a Dio, ed esemplare innanzi al popolo.

Chi è, o Venerabili Fratelli, il Sacerdote santo? Quegli che adempie tutti i doveri del suo stato, non solo i più gravi ed importanti, ma quelli eziandio di minor momento; nè solo quelli, ai quali ci porta l'inclinazione, ma quelli pure, che ci pesano, e ripugnano alla nostra natura. Nè basta. Quegli, che li adempie a suo tempo, a suo luogo con interno fervore, non tratto da necessità, o viste umane, ma per la gloria di Dio, e questo sempre; nè solo quando ne prova sensibile gusto, o frutti consolanti, ma per tutti

i giorni, anche di mezzo alle aridità e desolazioni di spirito, anche tra le contraddizioni che gli suscita il secolo corrotto. Ecco il Sacerdote santo, che guidato da questo Spirito, che è stima, ed amore della vocazione sacerdotale ne adempie i sublimi doveri, e ne onora l'indelebile carattere. Togliete ad un Sacerdote lo Spirito Ecclesiastico: gli togliete la vita, non resta che un cadavere.

Esser debbe esemplare verso il popolo. Eccovi due statue colossali, ambedue rappresentano lo stesso soggetto, Mosè sceso dal Sinai colle tavole della legge. Chi guarda appena superficialmente il disegno, le forme, l'atteggiamento, le proporzioni, le parti, si direbbe, sono uguali: ma fissate l'occhio sulla prima; quale energia di membra? qual maestà di volto? qual vivezza d'occhio? E vi pare, che il labbro parli, e non vi saziare di mirarlo, e gridate: tale era Mosè quando scendea dal Sinai. Osservate la seconda; non ha nessuna espressione, non vi parla alla fantasia, non vi tocca il cuore e vi lascia freddi, insensibili, come il masso onde uscì. Perchè tanta differenza? La prima è opera di sommo artefice, che trasfuse nel marmo il suo genio, e l'anima del suo spirito; la seconda è opera di volgare artista, che sà ritrarre, è vero, ma non crea. Ebbene eccovi due Sacerdoti, la loro vita esteriore è la stessa, lo stesso il ministero, che esercitano; eppure non potete vedere l'uno senza sciamare: ecco un vero Sacerdote, ecco l'uomo di Dio! l'altro non ferma la vostra attenzione, e vi passa quasi inosservato davanti: l'uno vi edifica, l'altro solo non dà scandalo. Perchè siffatta diversità? Il secondo non ha Spirito Ecclesiastico, o ne ha ben poco: la sua regolarità è affatto esteriore, è desso una statua scolpita senza genio, è un corpo senza vita. A rincontro il primo è pieno dello Spirito Ecclesiastico, il quale si dipinge sul volto, gli

compone gli occhi, gli inspira le parole, lo consiglia nel modo di vestire, di alimentarsi, si trasporta in tutte le sue azioni, e non che nel recitare l'ufficio, nel celebrare la messa, nel predicare la parola di Dio, ma nello stesso divertimento e riposo. È proprio Mosè che ti sta dinnanzi, come colui che parlò faccia a faccia con Dio. Il perchè giudicate voi, o Venerabili Fratelli, se all'edificazione dei popoli non è necessario, che il Sacerdote sia animato dello Spirito Ecclesiastico? E forse fui troppo indulgente nel supporre, che il Sacerdote, che ne va privo, adempia a suoi doveri, nè dia motivo, che altri se ne scandolezzi. La mancanza di questo non è dessa solo un mal'esempio; e chi per tutta sventura, ne sente il difetto, da qual'altro spirito sarà animato, se non da quello del mondo? E come reggere in mezzo le fatiche, le contraddizioni, i pericoli? Ah! Fratelli, solo lo Spirito Ecclesiastico ne infonde, e forza, e coraggio a soffrire le fatiche, le traversie, ad amare le più penose fatiche. Il perchè il Sacerdote animato dallo Spirito Ecclesiastico, ti riesce più edificante, ed è per questo, che nella povertà, ne' travagli, nelle persecuzioni istesse, ti appare sempre pacifico, tranquillo, e spesso anche inondato da sovrabbondante allegrezza.

Le cose sin'ora discorse vi parlano da sè stesse alla mente ed al cuore, nè io aggiungerò altre parole per esortarvi a tener vivo in voi lo Spirito Ecclesiastico, anzi a procacciare ognor più di rinfocarlo. Volete adunque che non s'estingua nell'anima vostra? Guardatevi dal soverchio commercio colla gente del mondo, e co' Sacerdoti secolareschi, dalla troppa sollecitudine dei beni temporali, e dall'eccessivo amore della carne, e del sangue, guardatevi dal disprezzo della veneranda antichità, dal desiderio di cose nove, dai divertimenti che fanno di



mondano, dagli studi profani intrapresi senza bisogno, e non senza discapito degli studi proprii d'un Sacerdote; guardatevi finalmente dalla rilassatezza negli esercizi di pietà, dalle piccole infedeltà nell'adempimento dei vostri doveri, e da quello zelo affannoso, indiscreto, che turba più, che giovi, trascura sè stesso, e dimentica l'avviso di S. Paolo a Timoteo: *Attende tibi et doctrinæ*. Queste, o Venerabili Fratelli, sono le principali cause, che a poco a poco intiepidiscono, e spengono del tutto lo Spirito Ecclesiastico: per esse il Sacerdote non tiene più di Sacerdote se non il nome e l'abito, se pure non si vergona del primo, e depone il secondo. Perchè questo non avvenga, volgete spesso a voi medesimi quella domanda di S. Bernardo: *Ad quid venisti?* Perchè entrasti nel Santuario, perchè sei posto a capo del gregge di Cristo? Amate il ritiro, il raccoglimento, ponete le vostre delizie nelle pie letture, nella preghiera, nella meditazione. Di quando in quando lasciate le turbe, e sull'esempio del Redentore, recatevi sul monte, o nei deserti, onde l'anima nuovi lumi acquisti, e nuove forze a combattere le pugne del Signore. Questi sono i precipui mezzi che alimentano lo Spirito Ecclesiastico, lo conservano, lo ravvivano; mezzi che formarono i Filippi Neri, i Zaveri, i Vincenzi de' Paoli, gli Andrea Avellini, gli Ignazi, i Camilli da Lellis, e altri più sì pieni di Spirito, che un solo di questi *valea per mille*. Venerabili fratelli, in quali tempi siamo noi, ben lo vedete. La pugna ferve, la fede è minacciata, la Chiesa perseguitata, contraddetta; la licenza del pensare, l'immoralità del costume allagano la terra. Oh! Dio, quanti lupi digrignano i denti, aguzzano le zanne contro il gregge di Cristo! il sangue scorre, le anime si perdono. E noi siamo i depositari di quel sangue preziosissimo, a noi le anime sono affidate. Noi dunque investiti

della pienezza del Sacerdozio, dobbiamo i primi scendere armati in campo a sostenere la battaglia e non bastando soli, volgersi intorno, e gridare ajuto! Ma da chi lo spereremo noi? da quei soldati pigri non usi all'armi, prestì alla fuga, e che nel momento del pericolo, allora si reputano vincitori, se riescono ad evitare il nemico, e in pace, e in guerra si mostrano avversi ai loro Duci, e che finalmente della milizia a cui appartengono, non hanno, che le divise? Ahimè! questi soldati quando non sono traditori, sono inutili, e quando non favoriscano i movimenti del nemico, ritardano almeno i nostri. Il conforto nostro sta dunque tutto in voi, prodi guerrieri, ne' cui petti ardono sentimenti più generosi; in voi, o Sacerdoti pieni di Spirito Ecclesiastico. Il perchè udite, e questa ultima mia parola non vi cada mai dalla mente. La pugna ferve, i figli di Gesù Cristo sono in pericolo; la speranza della vittoria è riposta nei veri Sacerdoti, solo in loro. Deh! Vergine Immacolata Santissima, e S. Bassiano protettore di quest'inclita Diocesi, sostenete, benedite il Pastore zelante, e il Clero virtuoso nel vostro nome congregato. E voi, o Gesù, per amor della Chiesa vostra sposa, per quel sangue, che versaste a renderla pura, immacolata, degna di Voi; deh! crescete crescete il numero di questi degni Sacerdoti, fate, che possiamo esclamare, nell'impeto della nostra gioja: *multiplicasti gentem*, e insieme soggiungere: *magnificasti letitiam*. Così sia.

---

**APPENDICES**  
**AD SYNODUM LAUDENSEM**  
**OCTAVAM**



# APPENDIX I.

*Ad cap. I De fide catholica n. 9*

---

## ISTRUZIONE PER IMPEDIRE LA DIFFUSIONE

DEI

### **LIBRI CATTIVI**

1. Tanto in città, quanto nei borghi principali ove sianvi officine da stampa, ed in qualunque paese ove vi abbiano negozj qualsivogliano di libri, o venditori che li portano in giro, il Parroco del luogo ne darà avviso a Monsignor Vescovo, il quale nominerà uno o più Delegati alla sorveglianza sulla stampa, e sul pubblico commercio librario, in relazione alla Fede Cattolica, al Culto, ed alla Disciplina della Chiesa non che alla Morale Cristiana, a seconda di quanto è stabilito al Cap. I, N. 9, ec. di questo Sinodo ottavo.

2. I Delegati alla sorveglianza libraria si atterranno alle regole generali intorno ai libri proibiti pubblicate per ordine del S. C. di Trento colle successive dichiarazioni pontificie di Clemente VIII, di Pio IV (*Dominici gregis*), di Gregorio XV (*Apostolatus officium*), di Alessandro VII (*Speculatores*), nonehè alle decisioni della S. Congregazione dell'Indice, quali si trovano al principio dell'Indice stesso dei libri proibiti.

3. Si informeranno se i Librai, ee., tengano, stampino, vendano libri colpiti dalla censura dell'Indice, o comunque cattivi.

4. Attenderanno a far eseguire dai Librai, ec. (ai quali saranno a tal uopo notificati i loro nomi da Monsignor Vescovo), anehe le regole che vengono qui appresso.

5. Nell'esecuzione della loro incumbenza però procederanno ordinariamente in via amichevole; ma quando non fossero ricevuti i loro avvisi, ne renderanno consapevole Monsignor Vescovo, onde adoperi più efficaci rimedj.

6. I Tipografi, Libraj, e venditori di libri si atterranno alle seguenti

## REGOLE

1.<sup>a</sup> Non tengano libri proibiti dalla Santa Sede o dal Vescovo, senza averne ottenuto la necessaria licenza, nè oltrepassino i limiti in essa fissati.

2.<sup>a</sup> Sebbene abbiano la detta licenza non espongano i libri proibiti nella bottega, o fuori, ma li tengano riposti, sicchè non cadano sott'occhio, nè per le mani di chiunque.

3.<sup>a</sup> Abbiano in pronto e consultino all'uopo l'Indice dei libri proibiti colle recenti aggiunte.

4.<sup>a</sup> Non vendano in nessun modo i libri proibiti, nè libri notabilmente osceni, nè li diano ad imprestito, se non a persone prudenti e dotte, di cui si abbia motivo di presumere che ne facciano un retto uso, e colla debita licenza.

5.<sup>a</sup> Non vendano Romanzi od altri libri di novelle, raeconti, ec., in prosa o in poesia se sono sconej, licenziosi, o in qualsivoglia guisa nocivi (massime quando vengono loro indicati come tali dal Delegato Vescovile) a persone non ancora mature di senno; nè li diano loro ad imprestito.

6.<sup>a</sup> Non tengano esposti, nè vendano fogli od altri stampati insidiosi al costume od alla Religione.

7.<sup>a</sup> Non tengano esposte nè vendano immagini invereconde o spiranti disprezzo alla Religione o ad altra virtù cristiana.

8.<sup>a</sup> I Tipografi non stampino libri proibiti dalla S. Sede; o dal Vescovo, nè stampino alcun'altra cosa, che tratti argomenti spettanti alla Religione, senza il permesso del Vescovo, o di chi è in sua vece Revisore dei libri: ma quando le cose da stamparsi sono presentate da Ecclesiastici, qualunque ne sia l'argomento, non le stampino senza tale permesso. Del resto esortiamo i Tipografi a dimandarlo per ogni oggetto da stamparsi, e molto più quando non abbiano piena sicurezza della bontà dell'opera per ciò che riguarda la Fede e la Morale.

9.<sup>a</sup> Presentino da ispezionare i Cataloghi dei libri del loro negozio, o i libri stessi ai Delegati Vescovili, quando ne siano richiesti.



## APPENDIX II.

*Ad cap. I De fide catolica n. 10.*

---

(*Constitutiones CLEMENTIS XII, BENEDICTI XIV, et PII VII,  
continentur in sequenti Constitutione LEONIS XII.*)

---

**Damnatio conventiculi noncupati — de' Liberi  
Muratori — et cujusvis aliæ secretæ societatis.**

### LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

*Memorantur litteræ a Clemente XII datæ pro damnatione  
ejusdem iniquæ societatis.*

§ 1. Quo graviora mala Christi Dei, et Servatoris Nostri gregi imminent, eo majorem sollicitudinem in iis arcendis adhibere debent Romani pontifices, quibus in beato Petro apostolorum principe illius pascendi et regendi potestas et cura commissa est. Pertinet enim ad eos, quippe qui in suprema Ecclesiæ specula positi sint, longius prospicere insidias, quas christiani nominis hostes moliuntur ad Christi Ecclesiam (quod tamen nunquam assequuntur) exterminandam, easque tum fidelibus indicare et aperire, ut ab iis caveant, tum auctoritate sua avertere, et amoliri. Gravissimum hoc munus sibi impositum intelligentes Romani pontifices prædecessores Nostri vigilias boni pastoris perpetuo vigilarunt, et adhortationibus, doctrinis, decretis, ipsaque anima data pro ovibus suis sectas extremum Ecclesiæ exitium minitantes prohibendas et penitus delendas curarunt. Nec ex annalium ecclesiasticorum vetustate tantum erui potest pontificiæ hujus sollicitudinis memoria.

Quæ Nostra et patrum Nostrorum ætate gesta sunt a Romanis pontificibus, ut clandestinis hominum adversus Christum malignantium sectis se objicerent, id perspicue evincunt. Ubi enim CLEMENS XII prædecessor Noster vidit in dies invalescere, novamque firmitatem acquirere sectam *de' Liberi Muratori sive des Francs Maçons*, sive aliter appellatam, quam non modo suspectam, verum etiam omnino Catholicæ Ecclesiæ inimicam multis argumentis certo noverat, cum dannavit luculenta constitutione cui initium *In eminenti* edita quarto kalendas majas anno millesimo septingentesimo trigésimo octavo, cujus tenor is est, qui subjicitur.

## CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

UNIVERSIS CHRISTIFIDELIBUS

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

*Tenor harum literarum*

§ 2 • In eminenti apostolatus specula, meritis licet imparibus  
 » divina disponente clementia constituti juxta creditum Nobis  
 » pastoralis providentiæ debitum jugi (quantum ex alto conceditur)  
 » sollicitudinis studio iis intendimus per quæ erroribus, vitiisque  
 » aditu intercluso orthodoxæ religionis potissimum servetur inte-  
 » gritas, atque ab universo catholico orbe difficillimis hisce tem-  
 » poribus perturbationum pericula propellantur.

• Sane vel ipso rumore publico nunciante Nobis innotuit longe  
 » lateque progredi, atque in dies invalescere nonnullas societates,  
 » cœtus, conventus, collectiones, aggregationes, seu conventicula  
 » vulgo *de' Liberi Muratori* seu *Francs Maçons*, aut alia quavis  
 » nomenclatura pro idiomatum varietate nuncupata, in quibus  
 » cujuscumque religionis et sectæ homines affectata quadam con-  
 » tenti honestatis naturalis specie arcto æque ac impervio fœdere  
 » secundum leges, et statuta sibi condita invicem consociantur,  
 » quæque simul clam operantur tum districto jurejurando ad sacra  
 » biblia interposito, tum gravium penarum exaggeratione invio-  
 » labili silentio obtigere adstringuntur.



» Verum cum ea sit sceleris natura, ut se ipsum prodat, et  
» clamorem edat sui indicem, hinc societates seu conventicula  
» prædicta vehementem adeo fidelium mentibus suspicionem in-  
» gesserunt, ut iisdem aggregationibus nomen dare apud prudentes  
» et probos idem omnino sit ac pravitatis et perversiois notam  
» incurrere; nisi enim male agerent, tanto nequaquam odio lucem  
» haberent. Qui quidem rumor eo usque percrebuit, ut plurimis  
» regionibus memoratæ societates per sæculi potestates tanquam  
» regnorum securitati adversantes proscriptæ, ac provide eliminatæ  
» jam pridem extiterint.

» Nos itaque animo volventes gravissima damna, quæ ut plu-  
» rimum ex hujusmodi societatibus seu conventiculis, nedum tem-  
» poralis reipublicæ tranquillitati, verum etiam spirituali animarum  
» saluti inferuntur, atque idcirco tum civilibus, tum canonicis ni-  
» nimè cohærere sanctionibus, cum divino eloquio doceamur dic  
» noctuque more servi fidelis et prudentis Dominicæ familiæ præ-  
» positi, vigilandum esse, ne hujusmodi hominum genus veluti  
» fures domum perfodiant; atque instar vulpium vineam demoliri  
» nitantur, ne videlicet simplicium corda pervertant, atque in-  
» noxios sagittent in occultis, ad latissimam, quæ iniquitatibus  
» impune patrandis inde aperiri posset viam obstruendam, aliisque  
» de justis ac rationalibus causis Nobis notis easdem societates,  
» cætus, conventus, collectiones, aggregationes seu conventicula  
» *de' Liberi Muratori* seu *Francs Maçons*, aut alio quocumque  
» nomine appellatas, de nonnullorum venerabilium fratrum No-  
» strorum S. R. E. cardinalium consilio, ac etiam motu-proprio et  
» ex apostolicæ potestatis plenitudine damnanda, et prohibenda  
» esse statuimus, et decrevimus, prout præsentì Nostra perpetuo  
» valitura constitutione damnamus et prohibemus.

» Quocirca omnibus et singulis christifidelibus cujuscumque  
» status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis, et præeminentiæ  
» sive laicis, sive clericis, tam sæcularibus quam regularibus etiam  
» specifica et individua mentione et expressione dignis, districtè,  
» et in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ne quis sub quovis  
» prætextu, aut quæsito colore audeat vel præsumat prædictas  
» societates *de' Liberi Muratori* seu *Francs Maçons*, aut alias nun-  
» cupatas inire, vel propagare, confovere, ac in suis ædibus vel

» domibus, seu alibi receptare atque occultare, iis adscribi, aggregari aut interesse, vel potestatem seu commoditatem facere, ut alicubi convocentur, iisdem aliquid ministrare, sive alias consilium, auxilium, vel favorem palam, aut in occulto, directe vel indirecte per se, vel per alios quoquomodo præstare, nec non alios hortari, inducere, provocare, aut suadere, ut hujusmodi societatibus adscribantur, annumerentur seu intersint, vel ipsos quomodolibet juvent ac foveant, sed omnino ab iisdem societatibus, cœtibus, conventibus, collectionibus, aggregationibus seu conventiculis prorsus abstinere se debeant sub pœna excommunicationis per omnes ut supra contrafacientes ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per quemquam, nisi per Nos, seu Romanum pontificem pro tempore existentem, præterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.

» Volumus insuper, et mandamus, ut tam episcopi et prælati, superiores, alique locorum ordinarii, quam hæreticæ pravitatis ubique locorum deputati inquisitores adversus transgressores, cujuscumque sint gradus, status, conditionis, ordinis, dignitatis, vel præeminentiæ, procedant et inquirent, eosque tanquam de hæresi vehementer suspectos condignis pœnis puniant atque coerceant; iis enim, et eorum cuilibet contra eosdem transgressores procedendi, et inquirendi, ac condignis pœnis coercendi et puniendi, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, liberam facultatem tribuimus et impertimur.

» Volumus autem, quod earundem præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhibetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

» Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostræ declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, et interdictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum.

» Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo trigesimo octavo, quarto kalendas maji, pontificatus Nostri anno octavo.

*Etiā Benedictum XIV societatem damnasse memoratur.*

§ 5. Hæc tamen recolendæ memoriæ Benedicto XIV itidem prædecessori Nostro satis non fuerunt. Percrebuerat enim sermionibus permultorum latam, in Clementis dudum mortui literis excommunicationis pœnam jam evanuisse, quod Benedictus eas literas diserte non confirmasset. Erat profecto absurdum contendere superiorum pontificum leges obsolescere, nisi a successoribus expresse approbentur, et præterea manifeste patebat a Benedicto sæpius Clementis constitutionem ratam habitam fuisse. Attamen hanc etiā cavillationem de sectariorum manibus extorquendam iudicavit Benedictus edita nova constitutione cujus initium = *Providas* = decimo quinto kalendas aprilis anno millesimo septingentesimo quinquagesimo primo, qua Clementis constitutionem totidem verbis relatam in forma, ut ajunt specifica, quæ omnium amplissima et efficacissima habetur, confirmavit. Talis vero est BENEDICTI constitutio.

## BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

*Tenor Benedictinæ damnationis.*

» *Providas* Romanorum pontificum prædecessorum Nostrorum  
» leges atque sanctiones non solum eas quarum vigorem vel ten-  
» porum lapsu, vel hominum neglectu labefactari, aut extingui posse  
» veremur, sed eas etiā quæ recentem vim, plenumque obtinent  
» robur, justis gravibusque id exigentibus causis novo auctoritatis  
» Nostræ munimine roborandas confirmandasque censemus.

» Sane felicitis recordationis prædecessor Noster Clemens pp. XII  
» per suas apostolicas literas anno incarnationis Dominicæ mille-  
» simo septingentesimó trigesimo octavo, quarto kalendas majas  
» pontificatus sui anno octavo datas, et universis christifidelibus  
» inscriptas, quarum initium est = *In eminenti* = nonnullas  
» societates, cœtus, conventus, collectiones, conventicula seu  
» aggregationes vulgo *de' Liberi Muratori*, seu *des Francs Maçons*.

» vel aliter nuncupatas in quibusdam regionibus tunc late diffusas,  
» atque in dies invalescentes perpetuo damnavit atque prohibuit,  
» præcipiens omnibus, et singulis christifidelibus sub pœna ex-  
» communicationis ipso facto absque ulla declaratione incurrenda,  
» a qua nemo per alium, quam per Romanum pontificem pro tem-  
» pore existentem, excepto mortis articulo, absolvi possit, ne quis  
» auderet vel præsumeret hujusmodi societates inire, vel propa-  
» gare, aut confovere, receptare, occultare, iisque adscribi, aggre-  
» gari, aut interesse, aut alias prout in eisdem literis latius et  
» uberius continetur, quarum tenor talis est videlicet, etc., etc.

» Cum autem sicut accepimus aliqui fuerint qui asserere, ac  
» vulgo jactare non dubitaverint dictam excommunicationis pœnam  
» a prædecessore Nostro ut præfertur impositam non amplius af-  
» ficere, propterea quod ipsa præinserta constitutio a Nobis con-  
» firmata non fuerit, quasi vero pro apostolicarum constitutionum  
» a prædecessore editarum subsistentia pontificis successoris ex-  
» pressa confirmatio requiratur.

» Cumque etiam a nonnullis piis ac Deum timentibus viris  
» Nobis insinuatam fuerit ad omnia calumniantium subterfugia  
» tollenda, declarandamque animi Nostri cum ejusdem prædeces-  
» soris mente ac voluntate uniformitatem magnopere expediens  
» fore, ut ejusdem prædecessoris constitutioni novum confirma-  
» tionis Nostræ suffragium adjungeremus.

» Nos licet hucusque dum pluribus christifidelibus de violatis  
» ejusdem constitutionis legibus vere pœnitentibus atque dolenti-  
» bus, seque a damnatis hujusmodi societatibus, seu conventiculis  
» omnino recessuros et nunquam in posterum ad illas, et illà re-  
» dituros ex animo profitentibus absolutionem ab incursa excom-  
» municatione tum antea sæpe, tum maxime elapso jubilæi anno  
» benigne concessimus, seu dum facultatem pœnitentiariis a Nobis  
» deputatis communicavimus, ut hujusmodi pœnitentibus, qui ad  
» ipsos confugerent, eandem absolutionem Nostro nomine et au-  
» ctoritate impertiri valerent, dum etiam sollicito vigilantiae studio  
» instare non prætermisimus, ut a competentibus iudicibus et tri-  
» bunalibus adversus ejusdem constitutionis violatores pro delicti  
» mensura procederetur, quod et ab eis recipi sæpe præstitum  
» fuit, non quidem probabilia dumtaxat, sed plane evidentia et

» indubitata argumenta dederimus, ex quibus animi Nostri sensus  
» ac firma et deliberata voluntas quoad censuræ per dictum Cle-  
» mentem prædecessorem, ut præfertur, impositæ vigorem et sub-  
» sistentiam satis aperte inferri debuerant; si quæ autem contraria  
» de Nobis opinio circumferretur, Nos eam securi contemnere pos-  
» semus, causamque Nostram justo Dei omnipotentis iudicio re-  
» linquere, ea verba usurpantes, quæ olim inter sacras actiones  
» recitata fuisse constat: = Præsta quæsumus Domine, ut mentium  
» reprobarum non curemus obloquium, sed eadem pravitate cal-  
» cata exoramus, ut nec terri nos lacerationibus patiaris inju-  
» stis, nec captiosis adulationibus implicari, sed potius amare, quod  
» præcipis: = ut habet antiquum missale, quod sancto Gelasio  
» prædecessori Nostro tribuitur, et a venerabili servo Dei Josepho  
» Maria cardinali Thomasio editum fuit in missa, quæ inscribitur  
» = Contra obloquentes.

» Ne tamen aliquid per Nos improvide prætermissum dici va-  
» leret, quo facile possemus mendacibus calumniis fomentum adi-  
» mere, atque os obstruere, audito prius nonnullorum venerabilium  
» fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium consilio, eandem præ-  
» decessoris Nostri constitutionem præsentibus ut supra de verbo  
» ad verbum insertam in forma specifica, quæ omnium amplis-  
» sima et efficacissima habetur, confirmare decrevimus, prout eam  
» ex certa scientia, et apostolicæ auctoritatis Nostræ plenitudine  
» earundem præsentium literarum tenore in omnibus et per omnia  
» perinde ac si Nostris motu proprio, auctoritate, ac nomine primum  
» editæ fuissent, confirmamus, roboramus et innovamus, ac per-  
» petuam vim et efficaciam habere volumus et decernimus.

» Porro inter gravissimas præfatæ prohibitionis et damnatio-  
» nis causas in præinserta constitutione enunciatas una est, quod  
» in huiusmodi societatibus et conventiculis cujuscumque reli-  
» gionis, ac sectæ homines invicem consociantur, qua ex re satis  
» patet, quam magna perniciæ catholicæ religionis puritati inferri  
» valeat. Altera est arctum et impervium secreti fœdus, quo occul-  
» tantur ea, quæ in huiusmodi conventiculis fiunt, quibus proinde  
» ea sententia merito aptari potest, quam Cæcilius Natalis apud  
» Minucium Felicem in causa nimirum diversa protulit: = Ho-  
» nesta semper publico gaudent, scelera secreta sunt. = Tertia est

- jusjurandum, quo se hujusmodi secreto inviolabiliter servando ad-
- stringunt, quasi liceat alicui cujuslibet promissionis aut juramenti
- obtentu se tueri quominus a legitima potestate interrogatus omnia
- fateri teneatur, quæcumque exquiruntur ad dignoscendum an
- aliquid in hujusmodi conventibus fiat quod sit contra religionis,
- aut reipublicæ statum, et leges. Quarta est, quod hujusmodi so-
- cietates non minus civilibus, quam canonicis sanctionibus ad-
- versari dignoscuntur, quum scilicet jure civili omnia collegia et
- sodalitia præter publicam auctoritatem consociata prohibeantur,
- ut videre est in pandectarum libro XLVII. tit. 22 de collegiis, ac
- corporibus illicitis, et in celebri epistola C. Plinii Cæciliæ secundi
- quæ est xcvi. lib. x in qua ait edicto suo secundum imperatoris
- mandata vetitum fuisse, ne hæteriæ essent, idest ne societates
- et conventus sine principis auctoritate iniri et haberi possent.
- Quinta est quod jam in pluribus regionibus memoratæ socie-
- tates, et aggregationes sæcularium principum legibus proscriptæ,
- atque eliminatæ fuerunt. Ultima demum, quod apud prudentes
- et probos viros eædem societates et aggregationes male audirent,
- eorumque judicio quicumque eisdem nomina darent, pravitatis
- et perversionis notam incurrerent.

• Denique idem prædecessor in præinserta constitutione epi-  
 scopos et superiores prælatos, aliosque locorum ordinarios ex-  
 citat, ut pro illius executione, si opus fuerit, brachii sæcularis  
 auxilium invocare non prætermittant.

• Quæ omnia et singula non solum a Nobis approbantur, et  
 confirmantur, eisdemque ecclesiasticis superioribus respective  
 commendantur et injunguntur, verum etiam Nos ipsi pro apo-  
 stolice sollicitudinis officio præsentibus Nostris literis catholi-  
 corum principum, omniumque sæcularium potestatum opem et  
 auxilium quoad præmissorum effectum invocamus, et enixo  
 studio requirimus, quum ipsi supremi principes et potestates  
 electi sint a Deo defensores fidei Ecclesiæque protectores, ideo-  
 que eorum munus sit idoneis, quibusque rationibus efficere, ut  
 apostolicis constitutionibus debitum obsequium, et omnimoda  
 observantia præstetur, quod iis in memoriam revocarunt Triden-  
 tinæ synodi patres sess. 23, cap. 20, multoque antea egregie  
 declaraverat imperator Carolus Magnus suorum capitularium

» tit. I, cap. 2, ubi post demandatam omnibus sibi subditis ecclesiarum sanctionum observantiam hæc addidit; = Nam nullo pacto agnoscere possumus qualiter Nobis fideles existere possunt, qui Deo infideles et suis sacerdotibus inobedientes apparuerint. = Quapropter cunctis ditionum suarum præsidibus, et ministris injungens, ut omnes, et singulos ad debitam obedientiam Ecclesiæ legibus exhibendam omnino compellerent, gravissimas quoque pœnas adversus eos indixit, qui hoc præstare negligerent, subdens inter alia: = Qui autem in his (quod absit) aut negligentibus, eisque inobedientibus fuerint inventi, sciant se nec in Nostro imperio honores retinere, licet etiam filii Nostri fuerint, nec in palatio locum, neque Nobiscum, aut cum Nostris societatem, aut communitatem ullam habere, sed magis sub distractione et ariditate pœnas luent. =

» Volumus autem, ut earundem præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

» Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostræ confirmationis, innovationis, approbationis, commissionis, invocationis, requisitionis decreti et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

» Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quinquagesimo primo, decimo quinto kalendas aprilis, pontificatus Nostri anno undecimo ».

*Decreta in prædecessorum constitutionibus non fuisse executioni mandata pontifex lamentatur, novamque damnationem sectæ decretam a Pio VII memorat.*

§ 5. Utinam qui rerum tunc potiebantur, tanti hæc decreta fecissent, quanti tum Ecclesiæ tum reipublicæ salus postulabat. Utinam sibi persuasissent in Romanis pontificibus beati Petri successoribus non modo Ecclesiæ universæ pastores, et magistros,

sed etiam strenuos eorum dignitatis defensores, et diligentissimos periculorum, quæ imminent, indices suspicere se debere. Utinam potestate illa sua usi essent ad sectas convellendas, quarum pestifera consilia iis a Sede apostolica fuerant patefacta. Jam ab eo tempore rem plane confecissent. At cum, sive sectariorum fraude res suas callide occultantium, sive imprudentibus nonnullorum suasionibus, causam hanc negligendam vel saltem levissime tractandam judicaverint, ex veteribus illis Massonicis sectis, quæ nunquam frigerunt, aliæ complures exortæ sunt multo illis deteriores et audaciores. Has omnes veluti sinu suo complecti visa est Carbonariorum secta, quæ cæterarum princeps in Italia, aliisque nonnullis in regionibus habebatur, et in varios veluti ramos divisa nomine tenus diversos, acerrime Catholicam religionem, et supremam quamque civilem legitimam potestatem impugnandam suscepit. Qua calamitate ut Italiam, aliasque regiones, imo et ipsam Pontificiam ditionem (in quam, impedito tantisper Pontificio regimine, illa irrepserat unam cum exteris hominibus ejus invasoribus) liberaret felicitis recordationis Pius SEPTIMUS, cui Nos successi sumus, Carbonariorum sectam, quocumque tandem nomine pro locorum, idiomatum, et hominum diversitate appellaretur, gravissimis pœnis damnavit edita idibus septembribus anno millesimo octingentesimo vigesimo primo constitutione, ejus initium = *Ecclesiam a Jesu Christo*. = Hujus etiam exemplum Nostris hisce literis inserendum esse censuimus, quod est ejusmodi.

## PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

*Tenor constitutionis Piænæ.*

- § 6. « Ecclesiam a Jesu Christo servatore Nostro supra firmam  
 » petram fundatam, et adversus quam ipsemet Christus promisit  
 » nunquam portas inferi prævalituras, tot sæpe ac tam formidolosi  
 » hostes aggressi sunt, ut nisi divina illa, et quæ transire non  
 » potest promissio intercessisset, metuendum videretur ne ipsa



» illorum aut vi, aut artibus, aut calliditate circumventa penitus  
» interiret. Quod vero superioribus temporibus evenit, id etiam  
» et præcipue quidem luctuosa hac Nostra ætate factum est, quæ  
» novissimum illud tempus esse videtur tanto ante ab apostolis  
» prænunciatum, quo (1) venient illusores secundum desideria sua  
» ambulantes in impietatibus. Nec enim quemquam latet, quanta  
» scelestorum hominum multitudo difficillimis hisce temporibus  
» convenerit in unum adversus Dominum et adversus Christum  
» ejus, qui id præcipue curant, ut deceptis per philosophiam et  
» inanem fallaciam (2) fidelibus et ab Ecclesiæ doctrina avulsis,  
» ipsam Ecclesiam irritò licet conatu labefactent, et evertant. Quod  
» ut facilius assequerentur, eorum plerique occultos cœtus, clan-  
» destinasque sectas coegerunt, ex quibus futurum sperabant ut  
» plurimos in suæ conjurationis et sceleris societatem liberius  
» pertraherent.

» Jampridem sancta hæc Sedes his sectis detectis magna li-  
» beraque voce contra eas clamavit, et consilia, quæ clam ab iis  
» essent inita contra religionem, imo et contra civilem societatem  
» patefecit. Jampridem omnium excitavit diligentiam, ut caverent,  
» ne his sectis id conari liceret, quod nefarie meditabantur. Verum  
» dolendum est his Sedis apostolicæ studiis non eum exitum re-  
» spondisse, quem ipsa spectabat, et scelestos homines numquam  
» a suscepto consilio destitisse; unde consequuta tandem ea mala  
» sunt, quæ nosmetipsi perspeximus; imo homines, quorum su-  
» perbia ascendit semper, novas etiam secretas societates inire  
» ausi sunt.

» Commemorari hoc loco debet societas nuper orta et longe  
» lateque in Italia, aliisque in regionibus propagata, quæ licet in  
» plures sectas divisa sit, ac pro earum varietate diversa ac di-  
» stincta inter se nomina aliquando assumat, re tamen, sententia-  
» rum, et facinorum communione, et fœdere quodam inito una est,  
» et Carbonariorum plerumque solet appellari. Simulant illi quidem  
» singularem observantiam et mirificum quoddam studium in Ca-  
» tholicam religionem, et in Jesu Christi servatoris nostri personam

(1) In epist. b. Judæ ap. v. 18.

(2) Coloss. cap. 2, v. 8.

» et doctrinam, quem etiam societatis suæ rectorem et magnum  
 » magistrum nefarie aliquando audent appellare. Verum sermones  
 » hi, qui super oleum mollii videntur, nihil aliud sunt quam ja-  
 » cula ad tutius vulnerandos minus cautos a callidis hominibus  
 » adhibita, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem  
 » sunt lupi rapaces.

» Sane severissimum illud jusjurandum, quo veteres Priscil-  
 » lianistas magna ex parte imitantes pollicentur se nullo unquam  
 » tempore, nullove casu vel patefacturos hominibus in societatem  
 » non adscriptis quidquam quod eam societatem respiciat, vel com-  
 » municaturos eum iis, qui in gradibus inferioribus versantur ali-  
 » quid quod ad gradus pertineat superiores, clandestina illa præ-  
 » terea et illegitima conventicula, quæ more a pluribus hæreticis  
 » usurpato ipsi habent, et cooptatio hominum eujuscumque reli-  
 » gionis et sectæ in suam societatem, etsi cætera deessent, satis  
 » persuadent nullam memoratis eorum dictis fidem haberi oportere.

» Verum conjecturis et argumentis opus non est, ut ita de  
 » eorum dictis judicetur, quemadmodum superius indicatum est.  
 » Libri ab ipsis typis editi, quibus ratio describitur, quæ in con-  
 » ventibus superiorum præsertim graduum adhiberi solet; eorum  
 » catechismi, et statuta, aliaque authentica et ad fidem faciendam  
 » gravissima documenta, nec non eorum testimonia, qui cum eam  
 » societatem deseruissent, cui antea adhæserant, ejus errores et  
 » fraudes legitimis iudicibus patefecerunt, aperte declarant, Carbo-  
 » narios id præcipue spectare ut magnam licentiam euique dent,  
 » religionem, quam colat, proprio ingenio, et ex suis opinionibus  
 » sibi fingendi, indifferentia in religionem inducta, qua vix quid-  
 » quam excogitari potest perniciosius, ut Jesu Christi passionem  
 » per nefarias quasdam suas cæremonias profanent, ac polluant,  
 » ut Ecclesiæ sacramenta (quibus nova alia a se per summum  
 » scelus inventa substituere videntur) et ipsa religionis Catholicæ  
 » mysteria contemnant, utque Sedem hanc apostolicam evertant,  
 » in quam, quoniam in ea apostolicæ cathedræ semper viguit prin-  
 » cipatus (1), singulari quodam odio afficiuntur, et pestifera quæque  
 » ac pernicioosa moliuntur.

(1) S. Aug. epist. 43.

» Nec minus, ut ex iisdem constat monumentis, scelesti sunt,  
» quæ Carbonariorum societas tradit de moribus præcepta, quamvis  
» confidenter jactet se a suis sectatoribus exigere, ut charitatem  
» ac omne virtutum genus excolant, et exercent, ac diligentissime  
» ab omni vitio absterneant. Itaque libidinis voluptatibus impu-  
» dentissime ea favet, docet licere eos interficere, qui datam de  
» secreto, quod superius memoratum est, fidem non servaverint;  
» et licet apostolorum princeps Petrus præcipiat, ut christiani (1)  
» omni humanæ creaturæ propter Deum subjecti sint, sive regi  
» quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis, etc., ju-  
» beatque Paulus apostolus (2), ut omnis anima potestatibus su-  
» blimioribus subdita sit; ea tamen societas docet integrum esse  
» seditionibus excitatis reges cæterosque imperantes, quos per  
» summam injuriam tyrannos passim appellare audeat, sua pote-  
» state expoliare.

» Hæc, aliaque hujus societatis dogmata, et præcepta sunt,  
» ex quibus ea extiterunt in Italia facinora nuper a Carbonariis  
» commissa, quæ adeo gravem honestis, piisque hominibus mœ-  
» rorem attulerunt. Nos igitur, qui speculatores domus Israel, quæ  
» est sancta Ecclesia, constituti sumus, et qui pro pastorali Nostro  
» munere cavere debemus, ne Dominicus grex Nobis divinitus  
» creditus ullum damnum patiat, existimamus in causa tam  
» gravi non posse ab impuris hominum conatibus cohibendis ab-  
» stinere. Exemplo etiam commovemur felicitatis recordationis Cle-  
» mentis XII et Benedicti XIV prædecessorum Nostrorum, quorum  
» alter quarto kalendas majas anni millesimi septingentesimi  
» trigesimi octavi constitutione = *In eminenti* = alter decimo  
» quinto kalendas aprilis anni millesimi septingentesimi quinqu-  
» gesimi primi constitutione = *Providas* = damnarunt et prohi-  
» buerunt societates *dei Liberi Muratori*, seu *Francs Maçons*, aut  
» alio quocumque nomine pro regionum, et idiomatum varietate  
» appellatas, quarum societatum fortasse propago, vel certe imitatio  
» hæc Carbonariorum societas existimanda est. Et quamvis jam  
» duobus edictis per Nostram status secretariam propositis hanc

(1) Ep. 1, cap. 2, v. 15.

(2) Rom. cap. 3, v. 14.

» societatem graviter Nos prohibuerimus, memoratos tamen præ-  
 » decessores Nostros sequentes graves pœnas in hanc societatem  
 » solemniori quidem ratione decernendas putamus, præsertim eum  
 » Carbonarii passim contendant se duabus illis Clementis XII, et  
 » Benedicti XIV constitutionibus non comprehendi, nec sententiis,  
 » et pœnis in illis fatis subjei.

» Audita igitur selecta congregatione venerabilium fratrum  
 » Nostrorum S. R. E. cardinalium, et de ejus consilio, ac etiam  
 » motu proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris,  
 » deque apostolicæ potestatis plenitudine prædictam societatem Car-  
 » bonariorum, aut alio quocumque nomine appellatam, ejus cœtus,  
 » conventus, collectiones, aggregationes, conventicula damnanda,  
 » et prohibenda esse statuimus et decrevimus, prout præsentì No-  
 » stra perpetuo valitura constitutione damnamus et prohibemus.

» Quocirca omnibus et singulis Christifidelibus cujuscumque  
 » status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis, ac præeminentiae  
 » sive laicis, sive clericis tam sæcularibus, quam regularibus etiam  
 » specifica, et individua mentione, et expressione dignis districte  
 » et in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ne quis sub quovis  
 » prætextu, aut quæsito colore audeat, vel præsumat prædictam  
 » societatem Carbonariorum, aut alias nuncupatam inire vel pro-  
 » pagare, confovere, ac in suis ædibus, seu domibus, vel alibi re-  
 » ceptare, atque occultare, illi, et cuicumque ejus gradui adscribi,  
 » aggregari, aut interesse, vel potestatem, seu commoditatem fa-  
 » cere, ut alicubi convocetur, eidem aliquid ministrare, seu alias  
 » consilium, auxilium vel favorem palam, aut in occulto directe  
 » vel indirecte per se, vel per alios quoquomodo præstare, nec non  
 » alios hortari, inducere, provocare, ac suadere, ut hujusmodi so-  
 » cietati, aut cuicumque ejusdem gradui adscribantur, annume-  
 » rentur, aut intersint, vel ipsam quomodolibet juvent ac foveant,  
 » sed omnino ab eadem societate, ejusque cœtibus, conventibus,  
 » aggregationibus, seu conventiculis prorsus abstinere se debeat  
 » sub pœna excommunicationis per omnes ut supra contrafacientes  
 » ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per  
 » quemquam nisi per Nos, seu Romanum pontificem pro tempore  
 » existentem, præterquam in articulo mortis constitutus, absolu-  
 » tionis beneficium valeat obtinere.

» Præcipimus præterea omnibus sub eadem excommunicationis  
» pœna Nobis, ac Romanis pontificibus successoribus Nostris reser-  
» vata, ut teneantur denunciare episcopis; vel cæteris ad quos spe-  
» etat eos omnes, quos noverint huic societati nomen dedisse, vel  
» aliquo ex iis criminibus, quæ commemorata sunt, se inquinasse.

» Postremo, ut onne erroris periculum efficacius arceatur,  
» damnamus, et proscribimus omnes Carbonariorum, ut ajunt,  
» catechismos et libros, quibus a Carbonariis describuntur, quæ  
» in eorum conventibus geri solent, eorum etiam statuta, codices,  
» ac libros omnes ad eorum defensionem exaratos, sive typis  
» editos, siye manuscriptos, et quibuscumque fidelibus sub eadem  
» pœna majoris excommunicationis eodem modo reservatæ pro-  
» hibemus memoratos libros, vel eorum aliquem legere, aut reti-  
» nere, ac mandamus, ut illos vel locorum ordinariis, vel aliis, ad  
» quos eosdem recipiendi jus pertinet, omnino tradant.

» Volumus autem quod præsentium literarum Nostrarum  
» transumptis etiam impressis, manu alicujus notarii publici sub-  
» scriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ  
» munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quæ præsentibus adhi-  
» beretur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

» Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostræ declara-  
» tionis, damnationis, mandati, prohibitionis et interdictionis in-  
» fringere, aut ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc  
» attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac bea-  
» torum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

» Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem anno incar-  
» nationis Dominicæ millesimo octingentesimo vigesimo primo  
» idibus septembris, pontificatus Nostri anno vigesimo secundo.

*Ratio novæ constitutionis.*

§ 7. Non multo post editam hanc a Pio VII constitutionem ad supremam beati Petri cathedram nullis Nostris meritis eveci Nos fuimus; et continuo omnem Nostram operam convertimus ad detegendum, quis esset clandestinarum sectarum status, quis numerus, quæ potentia. Hæc inquirentes facile intelleximus crevisse illarum insolentiam præcipue ob earum multitudinem novis sectis auctam. Ex quibus ea præsertim memoranda est quæ =

*Universitaria* = dicitur, quod sedem et domicilium in pluribus studiorum universitatibus habeat, in quibus juvenes a nonnullis magistris, qui eos non docere, sed pervertere student, ejusdem mysteriis, quæ iniquitatis mysteria verissime appellari debent, initiantur, et ad omne scelus informantur.

*Idem ut supra.*

§ 8. Inde vero existit, quod tanto etiam post tempore, quo primum perduellionis faces in Europa a sectis clandestinis per consecratos suos inflammatae, et elatae sunt, et post reportatas a potentissimis Europæ principibus præclarissimas victorias, quibus illæ comprimendæ sperabantur, nondum tamen nefarii earum conatus finem habuerunt. In illis enim ipsis regionibus, in quibus pristinae tempestates conquievisse videntur, qui metus est novarum turbarum, et seditionum, quas illæ sectæ perpetuo moliantur? Quæ impiarum formido sicarum, quas in eorum corporibus clam defigunt quos ad mortem designarunt? Quot, et quam gravia non raro decernere, vel inviti coguntur, qui iisdem cum potestate præsunt, ut publicam tranquillitatem tueantur?

*Idipsum ut supra.*

§ 9. Inde etiam existunt acerbissimæ calamitates, quibus Ecclesia fere ubique vexatur, et quas sine dolore, imo sine mœrore commemorare non possumus. Impugnantur impudentissime sanctissima ejus dogmata, et præcepta; ejus dignitas extenuatur; et pax illa, et felicitas qua suo quodam jure frui deberet, non perturbatur modo, sed omnino evertitur.

*Idipsum ut supra.*

§ 10. Nec putandum est, omnia hæc mala, aliaque, quæ prætermittenda a Nobis sunt clandestinis his sectis perperam et per calumniam adscribi. Libri, quos de religione et republica scribere non dubitarunt, qui his sectis nomen dederunt, quibus dominationem spernunt, majestatem blasphemant, Christum autem vel scandalum, vel stultitiam dictitant; imo non raro nullum esse Deum, et hominis animam una cum corpore interire docent: codices et statuta, quibus sua consilia, et instituta explicant, aperte

declarant cuncta, quæ jam memoravimus, et quæ ad legitimos principatus labefactandos, et Ecclesiam funditus delendam spectant, ab iis proficisci. Atque hoc veluti certum, exploratumque habendum est, has sectas licet nomine diversas, nefario tamen impurissimorum consiliorum vinculo esse inter se conjunctas.

*Nova damnatio omnium secretarum societatum.*

§ 11. Quæ cum ita sint, Nos muneris Nostri esse censemus iterum clandestinas has sectas condemnare, atque ita quidem ut nulla ex iis jactare possit se apostolica sententia Nostra non comprehendendi, atque hoc prætextu homines incautos et minus acutos in errorem inducat. Itaque de consilio venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium, et etiam motu proprio, et certa scientia, ac matura deliberatione Nostris societates occultas omnes tam quæ nunc sunt, tam quæ fortasse deinceps erumpent, et quæ ea sibi adversus Ecclesiam et supremas civiles potestates proponunt, quæ superius commemoravimus, quocumque tandem nomine appellentur, Nos perpetuo prohibemus sub eisdem pænis, quæ continentur in prædecessorum Nostrorum literis in hac Nostra constitutione jam allatis, quas expresse confirmamus.

*Pænæ inflictæ eis qui occultas societates, vel directe, vel indirecte fovent, inducunt, et provocant.*

§ 12. Quocirca omnibus et singulis christifidelibus cujuscumque status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis, ac præemi-  
nentiæ sive laicis, sive clericis, tam sæcularibus, quam regularibus etiam specifica, et individua mentione, et expressione dignis districte, et in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ne quis sub quovis prætextu, aut quæsito colore audeat vel præsumat prædictas societates, quocumque nomine appellentur, inire, vel propagare, confovere, ac in suis ædibus seu domibus vel alibi receptare, atque occultare, illis, et cuicumque earumdem gradui adscribi, aggregari, aut interesse, vel potestatem, seu commoditatem facere, ut alicubi convocentur, iisdem aliquid ministrare, seu alias consilium, auxilium, vel favorem palam, aut in occulto, directe, aut indirecte, per se, vel per alios quoquomodo præstare, nec non alios hortari, inducere, provocare, ac suadere, ut hujusmodi societatibus,

aut cuiuscumque earundem gradui adscribantur, annumerentur, aut intersint, vel ipsas quomodolibet iuvent ac foveant, sed omnino ab iisdem societatibus, earum cœtibus, conventibus, aggregationibus, seu conventiculis prorsus abstinere se debeat sub pœna excommunicationis per omnes ut supra contrafacientes eo ipso absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per quemquam, nisi per Nos, seu Romanum pontificem pro tempore existentem, præterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.

*Onus denunciandi socios.*

§ 13. Præcipimus præterea omnibus sub eadem excommunicationis pœna Nobis et Romanis pontificibus successoribus Nostris reservata, ut teneantur denunciare episcopis, vel cæteris, ad quos spectat, eos omnes, quos noverint his societatibus nomen dedisse, vel aliquo ex iis criminibus, quæ modo commemorata sunt, se inquinasse.

*Damnatio juramenti adhiberi soliti suis in conventiculis.*

§ 14. Præcipue vero jusjurandum illud impium plane, ac scelestum, quo se obstringunt, qui in has sectas cooptantur nemini patefacturos, quæ ad illas sectas pertinent, et morte mulctaturos eos omnes sodales, qui ea superioribus sive ecclesiasticis, sive laicis patefaciunt, omnino damnamus, et plane irritum declaramus. Quid enim? Nonne nefas est jusjurandum quod in = justitia = pronunciandum est, veluti vinculum habere, quo quis se ad injustam cædem obliget, et ad eorum contemnendam auctoritatem, qui cum vel Ecclesiam, vel legitimam civilem societatem moderantur, jus habent ea cognoscendi, quibus illarum salus continetur? Nonne iniquissimum, et indignissimum est Deum ipsum veluti scelerum testem et fidejussorem appellare? Rectissime patres concilii Lateranensis III inquirunt can. 3. « Non enim dicenda sunt juramenta, sed potius perjuria, quæ contra utilitatem ecclesiasticam, » et sanctissimorum patrum veniunt instituta ». Et intoleranda est eorum ex his hominibus impudentia, sive amentia, qui cum non modo in corde suo, sed etiam palam, et in publicis scriptis dicant = non est Deus = audeant tamen jusjurandum exigere ab iis omnibus, quos suas in sectas deligunt.



*Monitum speciale ad ordinarios, aliosque superiores.*

§ 15. Hæc a Nobis constituta sunt ad furiosas et scelestas has omnes sectas comprimendas et damnandas. Nunc vero vestram, venerabiles fratres catholici patriarchæ, primates, archiepiscopi, et episcopi, operam non postulamus modo sed etiam flagitamus. Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei. Invadent quidem lupi rapaces in vos non parentes gregi: sed nolite metuere, nec facite animam vestram pretiosorem quam vos. Illud tenete a vobis maxima ex parte pendere hominum vobis commissorum in religione, et recte factis constantiam. Quamvis enim iis vivamus diebus, = qui mali sunt, = eoque tempore, quo plures = non sustinent sanam doctrinam, = perdurat tamen permultorum fidelium in pastores suos observantia, quos jure suspiciunt veluti Christi ministros et dispensatores mysteriorum ejus. Utimini igitur in ovium vestrarum commodum hac auctoritate, quam in earum animis immortalis Dei beneficio retinetis. Cognoscant per vos sectariorum dolos, et quanta diligentia eos, eorumque consuetudinem cavere debeant. Horreant vobis auctoribus et magistris pravam eorum doctrinam, qui sanctissima religionis nostræ mysteria, et purissima Christi præcepta irrident, omnemque legitimam potestatem impugnant. Ac ut vos verbis alloquamur prædecessoris Nostri Clementis XII in sua epistola encyclica ad patriarchas, primates, archiepiscopos, episcopos universos Ecclesiæ Catholicæ diei decimæ quartæ septembris anni millesimi septingentesimi quinquagesimi octavi = Repleti simus, obsecro, fortitudine spiritus Domini, judicio et virtute, ne tamquam canes muti non valentes latrare, greges Nostros patiamur fieri in rapinam, et oves Nostras in devorationem omnium bestiarum agri. Neque Nos quidquam deterreat, quominus pro Dei gloria, et salute animarum ad omnes dimicationes nosmetipsos objiciamus. Recogitemus eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem. Quod si nequissimorum timeamus audaciam, actum est de episcopatus vigore; et de Ecclesiæ gubernandæ sublimi ac divina potestate: nec Christiani ultra aut durare, aut esse jam possumus, si ad hoc ventum est, ut perditorum minas, aut insidias pertimescamus. =

*Auxilium a catholicis principibus præbendum  
pro extirpatione sectarum.*

§ 16. Summo etiam studio vestrum flagitamus præsidium, carissimi in Christo filii Nostri catholici principes, quos singulari et prorsus paterno amore diligimus. Revocamus propterea vobis in memoriam verba, quibus Leo Magnus, cujus in dignitate successores, et nominis licet indigni hæredes sumus, ad Leonem imperatorem scribens usus est. = Debes incunctanter advertere regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, quæ sunt bona statuta defendas, et veram pacem his, quæ sunt turbata restituas. = Quamquam in eo discrimine res hoc tempore versetur, ut non modo ad Catholicam religionem defendendam, sed ad tuendam etiam vestram, et populorum vestro imperio subditorum incolumitatem, sectæ illæ a vobis coercendæ sint. Religionis enim causa hoc præsertim tempore, cum societatis salute ita conjuncta est, ut nullo quidem modo altera ab altera dividi possit. Nam, qui sectas illas sequuntur, non minus religionis, quam vestræ potestatis sunt hostes. Utramque aggrediuntur, utramque penitus labefactare moliantur. Neque certe paterentur, si possent, aut religionem, aut regiam ullam potestatem superesse.

*De malitia sectariorum compescenda.*

§ 17. Ac tanta est hominum callidissimorum astutia, ut cum maxime videntur vestræ potestatis amplificationi studere, tum ejus eversionem præcipue spectent. Docent illi quidem permulta ut suadeant Nostram, et episcoporum potestatem ab iis, qui rerum potiuntur imminuendam et debilitandam esse, et ad eos plura transferenda jura, tum ex iis, quæ propria sunt apostolicæ hujus cathedræ et = Ecclesiæ principalis, = tum ex iis, quæ ad episcopos pertinent, qui in Nostræ sollicitudinis partem sunt vocati. Verum hæc illi non modo ex teterrimo quo inflammantur in religionem odio, sed eo etiam consilio docent, quod sperent fore ut gentes, quæ vestro imperio subjiciuntur, si forte perspiciant everti terminos quos de rebus sacris Christus et Ecclesia ab eo instituta constituerunt, facile hoc exemplo adducantur ad politici etiam regiminis formam immutandam et destruendam.

*Deprecatio ad universos catholicos porrecta.*

§ 18. Vos etiam omnes, o dilecti filii, qui Catholicam religionem profiteremini, peculiari oratione et hortationibus Nostris respicimus. Homines, qui ponunt lucem tenebras, et tenebras lucem omnino evitate. Quæ enim veri nominis utilitas exoriri vobis poterit ex conjunctione eum hominibus qui nullam Dei, nullam sublimiorum quarumque potestatum rationem habendam putant, qui per insidias et clancularios conventus bellum illis afferre conantur, quique etsi in foro, et ubique elament se publici Ecclesiæ et societatis boni amantissimos esse, tamen universis suis gestis jam declararunt omnia perturbare, omnia evertere velle. Sunt ii quidem iis hominibus similes, quibus nec hospitium dandum, nec dicendum ave jubet Joannes in secunda sua epistola cap. 10, et quos primogenitos diaboli appellare majores Nostri non dubitarunt. Cavete igitur ab eorum blanditiis, et mellitis sermonibus, quibus vobis suadebunt, ut nomen illis sectis detis, quibus ipsi adscripti sunt. Pro certo habete neminem carum participem sectarum esse posse, quin gravissimi flagitii reus sit, eorumque verba ab auribus vestris repellite, qui ut vestræ in gradus suarum sectarum inferiores cooptationi assentiamini, vehementer affirmant, nihil in gradibus illis admitti, quod rationi, nihil quod religioni adversetur, imo nihil vel prædicari, vel perfici, quod non sanctum, quod non rectum, quod non incontaminatum sit. Etenim jusjurandum illud nefarium, quod jam memoratum est, quodque in illa etiam inferiori cooptatione jurari debet, satis per se est, ut intelligatis nefas etiam esse levioribus illis gradibus adscribi, atque in iis versari. Deinde quamvis quæ graviora, et scelestiora sunt, iis mandari non solcant, qui superiores gradus assequuti non sunt, perspicue tamen patet perniciosissimarum harum societatum vim, et audaciam ex omnium qui iis nomen dederunt consensione et multitudine coalescere. Itaque ii etiam, qui inferiores illos gradus non sunt prætergressi, scelerum illorum participes haberi debent. Et in eos cadit illud apostoli ad Rom. cap. 1 = qui talia agunt, digni sunt morte, et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. =

*Clausulae salulares et irritantes.*

§ 19. Postremo eos, qui cum jam essent illuminati, et gustavissent donum cœleste, et participes facti essent Spiritus Sancti, deinde tamen miserrime prolapsi sunt, et sectas illas sequuntur, sive in inferioribus, sive in superioribus earum gradibus versentur, peramanter ad Nos vocamus. Ejus enim vice fungentes, qui professus est, non venisse se vocare justos, sed peccatores, et se pastori æquiparavit, qui, relicto reliquo grege, sollicite ovem quærit, quam perdidit, eos hortamur et obsecramus, ut ad Christum revertantur. Quamvis enim maximo se polluerint crimine, non debent tamen de Dei, et Jesu Christi filii ejus misericordia et clementia desperare. Recipiant igitur sese tandem aliquando, et iterum ad Jesum Christum pro iis etiam passum confugiant, qui eorum resipiscentiam non modo non despiciet, sed imo ad instar amantissimi patris, qui filios prodigos jamdudum expectat, libentissime accipiet. Nos vero ut quantum in Nobis est eos excitemus, et faciliorem iis sternamus viam ad pœnitentiam, suspendimus ad integrum anni spatium post publicatas Nostras has apostolicas literas in regione, in qua morantur, tum obligationem denunciandi suos in sectis illis socios, tum etiam reservationem censurarum, in quas sectis illis nomen dantes inciderunt, eosque, etiam non denunciatis complicibus, absolvi ab iis censuris posse declaramus a quocumque confessario, modo sit ex eorum numero qui a locorum, in quibus degunt, ordinariis approbati sunt. Quam etiam facilitatem in eos, qui forte in urbe morentur, adhibendam constituimus. Quod si quispiam ex iis, quos nunc alloquimur, ita pertinax sit (quod Deus misericordiarum pater avertat), ut committat, illud temporis spatium, quod designavimus, labi, quin sectas illas deserat, et vere resipiscat, eo elapso continuo et obligatio denunciandi complicibus, et censurarum reservatio in eum reviviscet, nec absolutionem deinceps impetrare poterit, nisi denunciatis antea complicibus, vel saltem juramento emisso de iis quamprimum denunciandis, nec ab alio poterit iis censuris solvi, quam a Nobis, vel a Nostris successoribus, aut ab iis, qui a Sede apostolica ab iisdem absolvendi impetraverint facultatem.

*Fides habenda transumptis.*

§ 20. Volumus autem quod præsentium Nostrarum literarum transumptis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

*Sanctio pœnalis.*

§ 21. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostræ declarationis, damnationis, confirmationis, innovationis, mandati, prohibitionis, invocationis, requisitionis, decreti, et voluntatis infringere, vel ci ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ MDCCCXXV, tertio idusmartii, pontificatus Nostri anno II.

---

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ IX

EPISTOLA ENCICLYCA

AD OMNES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS

---

PIUS PP. IX

VENERABILES FRATRES, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Qui pluribus jam abhinc annis una vobiscum, Venerabiles Fratres, episcopale munus plenum laboris, plenum sollicitudinis pro viribus obire, ac dominici gregis partem curæ Nostræ commissam pascere nitebamur in montibus Israel, in rivis et pascuis uberrimis, ecce ob mortem clarissimi prædecessoris Nostri Gregorii XVI, cujus certe memoriam, atque illustria et gloriosa facta aureis notis inscripta in Ecclesiæ fastis semper admirabitur posteritas, præter omnem opinionem cogitationemque Nostram, arcano

divinae providentiae consilio, ad summum pontificatum, non sine maxima animi Nostri perturbatione ac trepidatione, evecti fuimus. Etenim, si semper grave admodum et periculosum apostolici ministerii onus merito est habitum atque habendum, hisce quidem difficillimis christianae reipublicae temporibus vel maxime formidandum. Itaque infirmitatis Nostrae probe consci, et gravissima supremi apostolatus officia, in tanta praesertim rerum vicissitudine, considerantes, tristitiae et lacrymis Nos plane tradidissemus, nisi omnem spem poneremus in Deo salutari nostro, qui nunquam derelinquit sperantes in Eo, quique, ut potentiae suae virtutem ostendat, ad suam regendam Ecclesiam infirmiora identidem adhibet, quo magis magisque omnes cognoscant, Deum ipsum esse, qui Ecclesiam admirabili sua providentia gubernat atque tuetur. Illa etiam consolatio Nos vehementer sustentat, quod in animarum salute procuranda vos socios et adjuutores habeamus, Venerabiles Fratres, qui in sollicitudinis Nostrae partem vocati, omni cura et studio ministerium vestrum implere, ac bonum certamen certare contenditis. Hinc, ubi primum in sublimi hae Principis apostolorum cathedra, licet immerentes, collocati in persona beati Petri gravissimum munus ab ipso aeterno pastorum Principe divinitus tributum accepimus pascendi ac regendi non solum agnos, universum scilicet christianum populum, verum etiam oves, hoc est antistites, nihil certe Nobis potius, nihil optabilius fuit, quam ut intimo caritatis affectu vos omnes alloqueremur. Quamobrem vix dum ex more institutoque decessorum Nostrorum in Nostra Lateranensi basilica summi pontificatus possessionem suscepimus, nulla interposita mora has ad vos literas damus, ut eximiam vestram excitemus pietatem, quo majore usque alacritate, vigilantia, contentione custodientes vigilias noctis super gregem curae vestrae commissum, atque episcopali robore et constantia adversus teterrimum humani generis hostem dimicantes, veluti boni milites Christi Jesu, strenue opponatis murum pro domo Israel.

Neminem vestram latet, Venerabiles Fratres, hac nostra deploranda aetate acerrimum ac formidolosissimum contra catholicam rem universam bellum ab iis hominibus conflari, qui nefaria inter se societate conjuncti, sanam non sustinentes doctrinam, atque a veritate auditum avertentes, omnigena opinionum portenta e

tenebris eruere, eaque totis viribus exaggerare, atque in vulgus prodere et disseminare contendunt. Horreseimus quidem animo et acerbissimo dolore conficimur, cum omnia errorum monstra, et varias multiplicesque nocendi artes, insidias, machinationes mente recogitamus, quibus hi veritatis et lucis osores, et peritissimi fraudis artifices omne pietatis, justitiæ, honestatis studium in omnium animis extinguere, mores corrumpere, jura quæque divina et humana perturbare, catholicam religionem, civilemque societatem convel- lere, labefactare, immo, si fieri unquam posset, funditus evertere commoliuntur. Noscitis enim, Venerabiles Fratres, hos infensissimos christiani nominis hostes, cæco quodam insanientis impietatis impetu misere raptos, eo opinandi temeritate progredi, ut inaudita prorsus audacia *aperientes os suum in blasphemias ad Deum* (1) palam publiceque edocere non erubescant, commentitia esse et hominum inventa sacrosancta nostræ religionis mysteria, catho- licæ Ecclesiæ doctrinam humanæ societatis bono et commodis adversari; ac vel ipsum Christum et Deum ejurare non extime- scant. Et quo facilius populis illudant, atque incautos præsertim et imperitos decipiant, et in errores secum abripiant, sibi unis prosperitatis vias notas esse comminiscuntur, sibi que philosopho- rum nomen arrogare non dubitant, perinde quasi philosophia, quæ tota in naturæ veritate investiganda versatur, ea respuere debeat, quæ supremus et elementissimus ipse totius naturæ auctor Deus singulari beneficio et misericordia hominibus manife- stare est dignatus, ut veram ipsi felicitatem et salutem asse- quantur. Hinc præpostero sane et fallacissimo argumentandi ge- nere nunquam desinunt humanæ rationis vim et excellentiam appellare, et extollere contra sanctissimam Christi fidem; atque audacissime blaterant, eam humanæ refragari rationi. Quo certe nihil dementius, nihil magis impium, nihil contra ipsam ra- tionem magis repugnans fingi, vel excogitari potest. Etsi enim fides sit supra rationem, nulla tamen vera dissensio, nullumque dissidium inter ipsas inveniri unquam potest, cum ambæ ab uno eodemque immutabilis æternæque veritatis fonte Deo Optimo Maximo orientur, atque ita sibi mutuam opem ferant, ut recta

(1) Apocalyp. XIII, 6.

ratio fidei veritatem demonstrat, tucatur, defendat; fides vero rationem ab omnibus erroribus liberet, eamque divinarum rerum cognitione mirifice illustret, confirmet atque perficiat. Neque minori certe fallacia, Venerabiles Fratres, isti divinæ revelationis inimici humanum progressum summis laudibus efferentes, in catholicam religionem temerario plane, ac sacrilego ausu illum inducere vellent, perinde ac si ipsa religio non Dei, sed hominum opus esset aut philosophicum aliquod inventum, quod humanis modis perfici queat. In istos tam misere delirantes percommode quidem cadit, quod Tertullianus sui temporis philosophis merito exprobrabat: *Qui stoïcum, et platonicum, et dialecticum Christianismum protulerunt* (1). Et sane, cum sanctissima nostra religio non ab humana ratione fuerit inventa, sed a Deo hominibus clementissime patefacta, tum quisque vel facile intelligit, religionem ipsam ex ejusdem Dei loquentis auctoritate omnem suam vim acquirere, neque ab humana ratione deduci aut perfici unquam posse. Humana quidem ratio, ne in tanti momenti negotio decipiatur et erret, divinæ revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut certo sibi constet Deum esse loquutum, ac Eidem, quemadmodum sapientissime docet Apostolus, rationabile obsequium exhibeat (2). Quis enim ignorat, vel ignorare potest, omnem Deo loquenti fidem esse habendam, nihilque rationi ipsi magis consentaneum esse, quam iis acquiescere firmiterque adhærere, quæ a Deo, qui nec falli nec fallere potest, revelata esse constiterit?

Sed quam multa, quam mira, quam splendida præsto sunt argumenta, quibus humana ratio luculentissime evinci omnino debet, divinam esse Christi religionem, et *omne dogmatum nostrorum principium radicem desuper ex cælorum Domino accepisse* (3), ac propterea nihil fide nostra certius, nihil securius, nihil sanctius extare, et quod firmioribus innitatur principiis? Hæc scilicet fides vitæ magistra, salutis index, vitiorum expultrix, ac virtutum fœcunda parens et altrix, divini sui auctoris et consummatoris Christi Jesu nativitate, vita, morte, resurrectione, sapientia, prodigiis,

(1) Tertull. *de Praescript.* cap. VIII.

(2) Ad Rom. XIII, 1.

(3) S. Joan. Chrysost. Homil. I in Isaiam.



vaticinationibus confirmata, supernæ doctrinæ luce undique refulgens, ac cælestium divitiarum ditata thesauris, tot prophetarum prædictionibus, tot miraculorum splendore, tot martyrum constantia, tot sanctorum gloria vel maxime clara et insignis, salutare proferens Christi leges, ac majores in dies ex crudelissimis ipsis persecutionibus vires acquirens universum orbem terra marique a solis ortu usque ad occasum, uno crucis vexillo pervasit, atque idolorum profligata fallacia, errorum depulsa caligine, triumphatisque cujusque generis hostibus, omnes populos, gentes, nationes utcumque immanitate barbaras, ac indole, moribus, legibus, institutis diversas divinæ cognitionis lumine illustravit, atque suavissimo ipsius Christi jugo subjecit, annuntians omnibus pacem, annuntians bona. Quæ certe omnia tanto divinæ sapientiæ ac potentiae fulgore undique collucent, ut cujusque mens et cogitatio vel facile intelligat, christianam fidem Dei opus esse. Itaque humana ratio ex splendidissimis hisce, æque ac firmissimis argumentis clare aperteque cognoscens Deum ejusdem fidei auctorem existere, ulterius progredi nequit, sed quavis difficultate ac dubitatione penitus abjecta atque remota, omne eidem fidei obsequium præbeat oportet, cum pro certo habeat a Deo traditum esse quidquid fides ipsa hominibus credendum, et agendum proponit.

Atque hinc plane apparet, in quanto errore illi etiam versentur, qui ratione abutentes, ac Dei eloquia tamquam humanum opus existimantes, proprio arbitrio illa explicare, interpretari temere audent, cum Deus ipse vivam constituerit auctoritatem, quæ verum legitimumque cælestis suæ revelationis sensum doceret, constabiliret, omnesque controversias in rebus fidei et morum *infallibili* judicio dirimeret, ne fideles circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum ad circumventionem erroris. Quæ quidem viva et *infallibilis* auctoritas in ea tantum viget Ecclesia, quæ a Christo Domino supra Petrum totius Ecclesiæ caput, principem et pastorem, cujus fidem nunquam defecturam promisit, ædificata suos legitimos semper habet pontifices sine intermissione ab ipso Petro ducentes originem in ejus cathedra collocatos, et ejusdem etiam doctrinæ, dignitatis, honoris ac potestatis hæredes et vindices. Et quoniam ubi Petrus ibi Ecclesia (1), ac Petrus per

(1) S. Ambros. in Psal. 40.

Romanum pontificem loquitur (1), et semper in suis successoribus vivit, et iudicium exercet (2), ac præstat quærentibus fidei veritatem (3), idcirco divina eloquia eo plane sensu sunt accipienda, quem tenuit ac tenet hæc Romana beatissimi Petri cathedra, quæ omnium Ecclesiarum mater et magistra (4), fidem a Christo Domino traditam, integram inviolatamque semper servavit, eamque fideles edocuit, omnibus ostendens salutis semitam, et incorruptæ veritatis doctrinam. Hæc siquidem principalis Ecclesia, unde unitas sacerdotalis exorta (5), hæc pietatis metropolis, in qua est integra christianæ religionis ac perfecta soliditas (6), in qua semper apostolicæ cathedræ vigit Principatus (7), ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est qui sunt undique fideles (8), cum qua quicumque non colligit, spargit (9). Nos igitur, qui inscrutabili Dei iudicio in hac veritatis cathedra collocati sumus, egregiam vestram pietatem vehementer in Domino excitamus, Venerabiles Fratres, ut omni sollicitudine et studio fideles curæ vestræ concreditos assidue monere, exhortari connitamini, ut hisce principiis firmiter adhærentes, nunquam se ab iis decipi, et in errorem induci patiantur, qui abominabiles facti in studiis suis, humani progressus obtentu fidem destruere, eamque rationi impie subicere, ac Dei eloquia invertere contendunt, summamque Deo ipsi injuriam inferre non reformidant, qui cælesti sua religione hominum bono atque saluti clementissime consulere est dignatus.

Jam vero probe noscitis, Venerabiles Fratres, alia errorum monstra et fraudes, quibus hujus sæculi filii catholicam religionem, et divinam Ecclesiæ auctoritatem, ejusque leges acerrime oppugnare, et tum sacræ tum civilis potestatis jura conculcare

(1) Concil. Chalced. Act. II.

(2) Synod. Ephes. Act. III.

(3) S. Petr. Chrysol. Epist. ad Entlich.

(4) Concil. Trid. Sess. VII. *de Baptism.*

(5) S. Cyprian. Epist. 55 ad Cornel. Pontif.

(6) Litter. Synod. Joann. Costantinop. ad Hormisd. Pontif., et Sozom. Histor. Lib. III, cap. 8.

(7) S. August. Epist. 162.

(8) S. Irenæus, Lib. III contra hæreses, cap. 5.

(9) S. Hieronym. Epist. ad Damasum Pontif.

conantur. Huc spectant nefariæ molitiones contra hanc Romanam beatissimi Petri cathedram, in qua Christus posuit inexpugnabile Ecclesiæ suæ fundamentum. Huc clandestinæ illæ sectæ e tenebris ad rei tum sacræ, tum publicæ exitium et vastitatem emersæ, atque a Romanis pontificibus decessoribus Nostris iterato anathemate damnatæ suis apostolicis literis (1), quas Nos apostolicæ Nostræ potestatis plenitudine confirmamus, et diligentissime servari mandamus. Hoc volunt vaferrimæ biblicæ societates, qua veterem hæreticorum artem renovantes, divinarum Scripturarum libros contra sanctissimas Ecclesiæ regulas vulgaribus quibusque linguis translatis, ac perversis sæpe explicationibus interpretatos, maximo exemplarium numero, ingentique expensa omnibus cujusque generis hominibus etiam rudioribus gratuito impertiri, obtrudere non cessant, ut divina traditione, patrum doctrina, et catholice Ecclesiæ auctoritate rejecta, omnes eloquia Domini privato suo judicio interpretentur, eorumque sensum pervertant, atque ita in maximos elabantur errores. Quas societates suorum decessorum exempla ænulans recol. mem. Gregorius XVI, in cujus locum meritis licet imparibus suffecti sumus, suis apostolicis literis reprobavit (2), et Nos pariter damnatas esse volumus. Huc spectat horrendum, ac vel ipsi naturali rationis lumini maxime repugnans de cujuslibet religionis indifferentia systema, quo isti veteratores, omni virtutis et vitii, veritatis et erroris, honestatis et turpitudinis sublato discrimine, homines in cujusvis religionis cultu æternam salutem assequi posse comminiscuntur, perinde ac si ulla unquam esse posset participatio justitiæ cum iniquitate, aut societas luci ad tenebras, et conventio Christi ad Belial. Huc spectat fœdissima contra sacrum clericorum cælibatum conspiratio, quæ a nonnullis etiam, proh dolor! ecclesiasticis viris fovetur, qui propriæ dignitatis misere obliti, se voluptatum blanditiis et illecebris vinci et deliniri patiuntur; huc perversa in philosophicis præsertim disciplinis docendi ratio, quæ improvidam juventutem miserandum in modum decipit, corrumpit, eique fel draconis in calice Babylonis

(1) Clemens XII, Const. *In eminenti*. Bened. XIV, Const. *Providus*. Pius VII, Const. *Ecclesiam a Jesu Christo*. Leo XII, Const. *Quo graviora*.

(2) Gregor. XVI. In literis Encyclicis ad omnes Episcopos, quarum initium, *Inter præcipuas machinationes*.

propinat: huc infanda, ac vel ipsi naturali juri maxime adversa de *Communismo*, uti vocant, doctrina, qua semel admissa, omnium jura, res, proprietates, ac vel ipsa humana societas funditus everterentur; huc tenebrosissimæ eorum insidiæ, qui in vestitu ovium, cum intus sint lupi rapaces, mentita ac fraudulenta purioris pietatis, et severioris virtutis, ac disciplinæ specie humiliter irrepunt, blande capiunt, molliter ligant, latenter occidunt, hominesque ab omni religionis cultu absterrent, et dominicas oves mactant atque discerpunt. Huc denique, ut cetera, quæ vobis apprime nota ac perspecta sunt, onittamus, teterrima tot undique volantium, et peccare docentium voluminum ac libellorum contagio, qui apte compositi, ac fallaciæ et artificii pleni, immanibusque sumptibus per omnia loca in christianæ plebis interitum dissipati, pestiferas doctrinas ubique disseminant, incautorum potissimum mentes animosque depravant, et maxima religioni inferunt detrimenta. Ex hac undique serpentium errorum colluvie, atque effrenata cogitandi, loquendi, scribendique licentiâ mores in deterius prolapsi, sanctissima Christi sprete religio, divini cultus improbata majestas, hujus apostolicæ Sedis divexata potestas, Ecclesiæ oppugnata atque in turpem servitutem redacta auctoritas, episcoporum jura conculcata, matrimonii sanctitas violata, cujusque potestatis regimen labefactatum, ac tot alia tum christianæ, tum civilis reipublicæ damna, quæ communibus lacrymis una vobiscum flere cogimur, Venerabiles Fratres.

In tanta igitur religionis, rerum ac temporum vicissitudine de universi dominici gregis salute Nobis divinitus commissa vehementer solliciti, pro apostolici Nostri ministerii officio nihil certe inausum, nihilque intentatum relinquemus, quo cunctæ christianæ familiæ bono totis viribus consulamus. Verum præclaram quoque vestram pietatem, virtutem, prudentiam summopere in Domino excitamus, Venerabiles Fratres, ut cælesti ope freti una Nobiscum Dei, ejusque sanctæ Ecclesiæ causam pro loco, quem tenetis, pro dignitate, qua insigniti estis, impavide defendatis. Vobis acriter pugnandum esse intelligitis, cum minime ignoretis, quibus quantisque intemerata Christi Jesu sponsa vulneribus afficiatur, quantoque acerrimorum hostium impetu divexetur. Atque in primis optime noscitis, vestri muneris esse catholicam fidem episcopali

robore tueri, defendere, ac summa cura vigilare, ut grex vobis commissus in ea stabilis et immotus persistat, *quam nisi quisque integram, inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit* (1). In hanc igitur fidem tuendam atque servandam pro pastoralis vestra sollicitudine diligenter incumbite, neque unquam desinite omnes in ea instruere, confirmare nutantes, contradicentes arguere, infirmos in fide corroborare, nihil unquam omnino dissimulantes ac ferentes, quod ejusdem fidei puritatem vel minimum violare posse videatur. Neque minori animi firmitate in omnibus fovete unionem cum catholica Ecclesia, extra quam nulla est salus, et obedientiam erga hanc Petri cathedram, cui tamquam firmissimo fundamento toto sanctissimæ nostræ religionis moles inuititur. Pari vero constantia sanctissimæ Ecclesiæ leges custodiendas curate, quibus profecto virtus, religio, pietas summopere vigent et florent. Cum autem *magna sit pietas prodere latebras impiorum, et ipsum in eis, cui serviunt, diabolum debellare* (2), illud obsecrantes monemus, ut omni ope et opera multiformes inimicorum hominum insidias, fallacias, errores, fraudes, machinationes fidei populo detegere, eumque a pestiferis libris diligenter avertere, atque assidue exhortari velitis, ut impiorum sectas et societates fugiens tamquam a facie colubri, ea omnia studiosissime devitet, quæ fidei, religionis, morumque integritati adversantur. Qua de re nunquam omnino sit, ut cessetis prædicare Evangelium, quo christiana plebs magis in dies sanctissimis christianæ legis præceptionibus erudita crescat in scientia Dei, declinet a malo et faciat bonum, atque ambulet in viis Domini. Et quoniam nostis, vos pro Christo legatione fungi, qui se mitem et humilem corde est professus, qui que non venit vocare justos, sed peccatores, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus; quos in mandatis Domini delinquentes, atque a veritatis et justitiæ semita aberrantes inveneritis, haud omittite eos in spiritu lenitatis et mansuetudinis, paternis monitis et consiliis, corripere atque arguere, obsecrare, increpare in omni bonitate, patientia et doctrina, cum *sæpe plus erga corrigendos agat benevolentia, quam austeritas, plus exhortatio, quam*

(1) Ex Symbolo *Quicumque*.

(2) S. Leo, Serm. VIII, cap. 4.

*comminatio, plus caritas, quam potestas* (1). Illud etiam totis viribus præstare contendite, Venerabiles Fratres, ut fideles caritatem sectentur, pacem inquirent, et quæ caritatis et pacis sunt sedulo exequantur, quo cunctis dissensionibus, inimicitiiis, æmulationibus, simultatibus penitus extinctis omnes se mutua caritate diligant, atque in eodem sensu, in eadem sententia perfecti sint, et idem unanimes sentiant, idem dicant, idem sapiant in Christo Jesu Domino Nostro. Debitam erga Principes et potestates obedientiam ac subjectionem christiano populo inculcare satagite, edocentes juxta Apostoli monitum (2) non esse potestatem nisi a Deo, eosque Dei ordinationi resistere, adeoque sibi damnationem acquirere, qui potestati resistunt, atque idcirco præceptum potestati ipsi obediendi a nemine unquam citra piaculum posse violari, nisi forte aliquid imperetur, quod Dei et Ecclesiæ legibus adversetur.

Verum cum *nihil sit, quod alios magis ad pietatem, et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministero dedicarunt* (3), et cujusmodi sunt sacerdotes, ejusmodi plerumque esse soleat et populus, pro vestra singulari sapientia perspiciatis, Venerabiles Fratres, summa cura et studio vobis esse elaborandum, ut in clero morum gravitas, vitæ integritas, sanctitas, atque doctrina eluceat, et ecclesiastica disciplina ex sacrorum Canonum præscripto diligentissime servetur, et ubi collapsa fuerit, in pristinum splendorem restituatur. Quapropter, veluti præclare scitis, Vobis summòpere cavendum, ne cuiquam, juxta Apostoli præceptum, cito manus imponatis, sed eos tantum sacris initiatis Ordinibus, ac sanctis tractandis admoveatis mysteriis, qui accurate exquisiteque explorati, ac virtutum omnium ornatu et sapientiæ laude spectati, vestris diocesisibus usui et ornamento esse possint, atque ab iis omnibus declinantes, quæ clericis vetita, et attendentes lectioni, exhortationi, doctrinæ *exemplum sint fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in castitate* (4), cunctisque afferant venerationem, et populum ad christianæ religionis institutionem fingant, excitent atque inflamment. *Melius*

(1) Concil. Trident. Sess. XIII, cap. 1, *de Reform.*

(2) Ad Roman. XIII, 1, 2.

(3) Concil. Trid. Sess. XXII, cap. 4, *de Reform.*

(4) Ad Timoth. IV, 12.

*enim profecto est, ut sapientissime monet immortalis memoriae Benedictus XIV decessor Noster, pauciores habere ministros, sed probos, sed idoneos atque utiles, quam plures, qui in aedificationem corporis Christi, quod est Ecclesia, nequidquam sint valituri* (1). Neque vero ignoratis, majori diligentia vobis in illorum praecipue mores et scientiam esse inquirendum, quibus animarum cura et regimen committitur, ut ipsi tamquam fideles multiformis gratiae Dei dispensatores plebem sibi concreditam sacramentorum administratione, divini verbi praedicatione, ac bonorum operum exemplo continenter pascere, juvare, eamque ad omnia religionis instituta ac documenta informare, atque ad salutis semitam perducere studeant. Intelligitis nimirum, parochis officii sui ignaris, vel negligentibus, continuo et populorum mores prolabi, et christianam laxari disciplinam, et religionis cultum exsolvi atque convelli, ac vitia omnia et corruptelas in Ecclesiam facile invehi. Ne autem Dei sermo, qui vivus, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti (2) ad animarum salutem est institutus, ministrorum vitio infructuosus evadat, ejusdem divini verbi praekonibus inculcare, praecipere nunquam desinite, Venerabiles Fratres, ut gravissimum sui muneris officium animo reputantes, evangelicum ministerium non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, non in profano inanis et ambitiosae eloquentiae apparatu et lenocinio, sed in ostensione spiritus et virtutis religiosissime exercent, ut recte tractantes verbum veritatis, et non semetipsos, sed Christum crucifixum praedicantes, santissimae nostrae religionis dogmata, praecipua juxta catholicae Ecclesiae et patrum doctrinam gravi ac splendido orationis genere populis clare aperteque annunciant, peculiaris singulorum officia accurate explicant, omnesque a flagitiis deterreant, ad pietatem inflamment, quo fideles Dei verbo salubriter imbuti atque reflecti vitia omnia declinent, virtutes sectentur, atque ita aeternas poenas evadere, et caelestem gloriam consequi valeant. Universos ecclesiasticos viros pro pastoralis vestra sollicitudine et prudentia assidue monete, excitare, ut serio cogitantes ministerium, quod acceperunt in Domino, omnes proprii muneris partes diligentissime

(1) Bened. XIV, in Epist. Encycl. ad omnes Episcopos, ejus initium, *Ubi primum*.

(2) Ad Hebr. 4. v. 12.

impleant, domus Dei decorem summopere diligant, atque intimo pietatis sensu sine intermissione instent obsecrationibus et precibus, et canonicas Horas ex Ecclesiae praecepto persolvant, quo et divina sibi auxilia ad gravissima officii sui munera obeunda impetrare, et Deum christiano populo placatum ac propitium reddere possint.

Cum autem, Venerabiles Fratres, vestram sapientiam minime fugiat, idoneos Ecclesiae ministros nonnisi ex optime institutis clericis fieri posse, magnamque vim in recta horum institutione ad reliquum vitae cursum inesse, pergite omnes episcopalis vestri zeli nervos in id potissimum intendere, ut adolescentes clerici vel a teneris annis tum ad pietatem solidamque virtutem, tum ad literas severioresque disciplinas, praesertim sacras, rite informentur. Quare vobis nihil antiquius, nihil potius esse debet, quam omni opera, solertia, industria clericorum seminaria ex Tridentinorum patrum praescripto (1) instituire, si nondum existunt, atque instituta, si opus fuerit, amplificare, caeque optimis moderatoribus et magistris instruere, ac intentissimo studio continenter advigilare, ut inibi juniores clerici in timore Domini, et ecclesiastica disciplina sanete religioseque educantur, et sacris potissimum scientiis juxta catholicam doctrinam ab omni prorsus cujusque erroris periculo alienis, et Ecclesiae traditionibus, et sanctorum patrum scriptis, sacrisque caeremoniis, ritibus sedulo ac penitus excolantur, quo habere possitis navos atque industrios operarios, qui ecclesiastico spiritu praediti, ac studiis recte instituti valeant in tempore dominicum agrum diligenter excolere, ac strenue praeliari praelia Domini. Porro cum vobis compertum sit, ad ecclesiastici ordinis dignitatem et sanctimoniam retinendam et conservandam pium spiritualium exercitiorum institutum vel maxime conducere, pro episcopali vestro zelo tam salutare opus urgere, omnesque in sortem Domini vocatos monere, hortari ne intermittatis, ut saepe in opportunum aliquem locum iisdem peragendis exercitiis secedant, quo, exterioribus curis sepositis, ac vehementiori studio aeternarum divinarumque rerum meditationi vacantes, et contractas de mundano pulvere sordes detergere, et ecclesiasticum spiritum renovare possint, atque expoliantes veterem hominem cum

(1) Concil. Trid. Sess. XXIII, cap. 18, *de Reform.*



actibus suis, novum induant, qui creatus est in justitia et sanctitate. Neque vos pigeat, si in cleri institutione et disciplina paulo diutius immorati sumus. Etenim minime ignoratis multos existere, qui errorum varietatem, inconstantiam, mutabilitatemque pertæsi, ac sanctissimam nostram religionem profitendi necessitatem sentientes, ad ipsius religionis doctrinam, præcepta, instituta eo facilius, Deo bene juvante, amplectenda, colenda adducentur, quo majori clerum pietatis, integritatis, sapientiæ laude, ac virtutum omnium exemplo et splendore ceteris antecellere conspexerint.

Ceterum, Fratres Carissimi, non dubitamus, quin vos omnes ardenti erga Deum et homines caritate incensi, summo in Ecclesiam amore inflammati, angelicis pene virtutibus instructi, episcopali fortitudine, prudentia muniti, uno eodemque sanctæ voluntatis desiderio animati, apostolorum vestigia sectantes, et Christum Jesum pastorum omnium exemplar, pro quo legatione fungimini, imitantes, quemadmodum decet episcopos, concordissimis studiis facti forma gregis ex animo, sanctitatis vestræ splendore clerum populumque fidelem illuminantes, atque induti viscera misericordiæ et condolentes iis qui ignorant et errant, devias ac pereuntes oves evangelici pastoris exemplo amanter quærere, persequi ac paterno affectu vestris humeris imponere, ad ovile reducere, ac nullis neque curis, neque consiliis, neque laboribus parcere unquam velitis, quo omnia pastoralis muneris officia religiosissime obire, ac omnes dilectas Nobis oves pretiosissimo Christi sanguine redemptas, et curæ vestræ commissas a rapacium luporum rabie, impetu, insidiis defendere, easque ab venenatis pascuis arcere, ad salutaria propellere, et quâ opere, quâ verbo, quâ exemplo ad æternæ salutis portum deducere valeatis. In majori igitur Dei et Ecclesiæ gloria procuranda viriliter agite, Venerabiles Fratres, et omni alacritate, sollicitudine, vigilantia in hoc simul elaborate, ut omnibus erroribus penitus depulsis, vitiisque radicitus evulsis, fides, religio, pietas, virtus majora in dies ubique incrementa suscipiant, cunctique fideles abjicientes opera tenebrarum, sicut filii lucis ambulent digne Deo, per omnia placentes, et in omni opere bono fructificantes. Atque inter maximas angustias, difficultates, pericula, quæ a gravissimo episcopali vestro ministerio hisce præsertim temporibus abesse non possunt, nolite unquam terri, sed confortamini in Domino, et in

potentia virtutis Ejus, *qui nos in congressione nominis sui constitutos desuper spectans, volentes comprobat, adjuvat dinicantes, vincentes coronat* (1). Cum autem Nobis nihil gratius, nihil jucundius, nihil optabilius sit, quam vos omnes, quos diligimus in visceribus Christi Jesu, omni affectu, consilio, opera juvare, atque una vobiscum in Dei gloriam et catholicam fidem tuendam, propagandam toto pectore incumbere, et animas salvas facere, pro quibus vitam ipsam, si opus fuerit, profundere parati sumus, venite, Fratres, obtestamur et obsecramus, venite magno animo, magnæ fiducia ad hanc beatissimi apostolorum Principis Sedem, catholicæ unitatis centrum, atque episcopatus apicem, unde episcopatus, ac tota ejusdem nominis auctoritas emersit, venite ad Nos quotiescumque Nostræ, et ejusdem Sedis auctoritatis ope, auxilio, præsidio vos indigere noveritis.

In eam porro spem erigimur fore, ut carissimi in Christo Filii Nostri viri Principes pro eorum pietate et religione in memoriam revocantes, *regiam potestatem sibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam* (2), et Nos *cum Ecclesiæ causam, tum eorum regni agere et salutis, ut provinciarum suarum quieto jure potiantur* (3), communibus Nostris votis, consiliis, studiis sua ope et auctoritate faveant, atque ipsius Ecclesiæ libertatem incolunitatemque defendant, *ut et Christi dextera eorum defendatur imperium* (4).

Quæ omnia ut prospere feliciterque ex sententia succedant, adeamus cum fiducia, Venerabiles Fratres, ad thronum gratiæ, atque unanimes in humilitate cordis nostri Patrem misericordiarum, et Deum totius consolationis enixis precibus sine intermissione obsecremus, ut per merita Unigeniti Filii sui infirmitatem nostram omnium cœlestium charismatum copia cumulare dignetur, atque omnipotenti sua virtute expugnet impugnantes nos, et ubique augeat fidem, pietatem, devotionem, pacem, quo Ecclesia sua sancta, omnibus adversitatibus et erroribus penitus sublatis, optatissima tranquillitate fruatur, ac fiat unum ovile, et unus

(1) S. Cyprian. Epist. 77, ad Nemesianum et ceteros martyres.

(2) S. Leo Epist. 136 at. 123, ad Leonem Augustum.

(3) Idem, Epist. 45 at. 54, ad Theodosium Augustum.

(4) Idem, ibid.

pastor. Ut autem clementissimus Dominus facilius inclinet aurem suam in preces Nostras, et nostris annuat votis, deprecatricem apud Ipsum semper adhibeamus sanctissimam Dei Genitricem Immaculatam Virginem Mariam, quæ nostrum omnium dulcissima mater, mediatrix, advocata, et spes fidissima ac maxima fiducia est, cujus patrocinio nihil apud Deum validius, nihil præsentius. Invocemus quoque apostolorum Principem, cui Christus ipse tradidit claves regni cælorum, quemque Ecclesiæ suæ petram constituit, adversus quam portæ inferi prævalere nunquam poterunt, et coapostolum ejus Paulum, atque omnes sanctos Cælitæ, qui jam coronati possident palmam, ut desideratam divinæ propitiationis abundantiam universo christiano populo impetrent.

Denique cælestium omnium munierum auspitem, et potissimæ Nostræ in vobis caritatis testem, accipite Apostolicam Benedictionem, quam ex intimo corde depromptam vobis ipsis, Venerabiles Fratres, et omnibus clericis, laicisque fidelibus curæ vestræ conceditis amantissime impertimur.

Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem, die IX Novembris anno MDCCCXLVI, pontificatus Nostri anno primo.



## APPENDIX III.

INDULGENTIÆ PLURES IN SYNODO SPECIALITER COMMENDATÆ

*Ad cap. II, De doctrina christ. n. 3.*

### Per la Dottrina Cristiana.

*I sommi Pontefici Clemente VIII, Paolo V, e Clemente XII per animare sempre più i Fedeli dell'uno e dell'altro sesso ad insegnare e ad apprendere la Dottrina Cristiana concessero le seguenti Indulgenze:*

I. A tutti i fedeli dell'uno e dell'altro sesso, che si faranno ascrivere alla Compagnia della Dottrina Cristiana, e nel primo giorno del loro ingresso saranno *confessati e comunicati* Indulgenza Plenaria (*Clemente VIII, ex Synod. Novar. 1826, Cardinal. Morozzo pag. 331, etc.*).

II. A tutti i maestri di scuola, che nei giorni di festa *condurranno i loro discepoli* alla Dottrina Cristiana, e gliela insegneranno, per ogni volta 7 anni d'Indulgenza, ed ai medesimi che nei giorni di lavoro nelle loro scuole *spiegheranno la Dottrina Cristiana*, per ogni volta 100 giorni d'Indulgenza (*Paolo V con Breve 6 Ottobre 1807*). Inoltre Indulgenza di 7 anni ai raccoglitori della Compagnia qualunque volta andranno in giro per *condurre alla Dottrina Cristiana* uomini, donne, o fanciulli (*Clem. VIII*).

III. A tutti i padri e le madri di famiglia che nelle loro case ai figliuoli ed alle persone di loro servizio *insegneranno la Dottrina Cristiana*, per ciascuna volta 100 giorni d'Indulgenza (*Paolo V*).

IV. A tutti i fedeli cristiani che *per mezz'ora studieranno o per insegnare o per imparare la Dottrina Cristiana*, per ogni volta 100 giorni d'Indulgenza (*Paolo V*).

\* V. A tutti quelli della Compagnia, che si troveranno *presenti alle congregazioni* pubbliche e private della medesima, ovvero che *insegneranno la Dottrina Cristiana, o presteranno assistenza, ed ajuto a coloro che la insegnano*, Indulgenza di 100 giorni (*Clem. VIII*).

VI. Indulgenza di 7 anni ed altrettante quarantene a tutti i Fedeli dell'uno e dell'altro sesso ogni volta che *confessati e comunicati assisteranno al Catechismo o alla Dottrina, ovvero faranno il Catechismo, o insegneranno la Dottrina* (*Clem. XII con Breve 7 Giugno 1753*).

VII. A tutti i Fedeli Cristiani dell'uno e dell'altro sesso e di qualsivoglia età, soliti radunarsi nelle Scuole o nelle Chiese per imparare la Dottrina Cristiana, *se si confesseranno* in tutte le feste della Beatissima Vergine, Indulgenza di 3 anni in ciascuna di dette feste, e gli abili alla SS. Comunione, *se riceveranno divotamente il SS. Sacramento*, Indulgenza di 3 anni (*Paolo V*).

VIII. Agli aggregati a detta Compagnia, i quali esercitandosi in opere pie della medesima *si confesseranno e comunicheranno* per la festa titolare della Compagnia nel giorno assegnato dal Vescovo nell'atto di sua erezione; e parimenti in ogni terza Domenica di ciascun mese, *pregando Dio per la concordia de' Principi Cristiani, per l'estirpazione delle eresie, e per l'esaltazione di santa Chiesa*, Indulgenza Plenaria (*Clem. VIII*).

IX. A quei, che avranno il pio costume *d'assistere o d'insegnare la Dottrina*, e che si saranno *confessati e comunicati*, Indulgenza Plenaria nei giorni del S. Natale di N. S. G. C., di Pasqua di Risurrezione, e dei SS. Apostoli Pietro e Paolo (*Clem. XII*).

X. Agli aggregati alla Compagnia allora che *in punto di morte*, dopo essersi *confessati e comunicati*, ed essendo impediti, dato qualche segno di pentimento dei loro peccati, *invocheranno* colla bocca, ovvero col cuore *il Nome Santissimo di Gesù*, Indulgenza Plenaria (*Clem. VIII*).

XI. Agli ascritti alla Compagnia qualunque volta *visiteranno i loro confratelli infermi*, Indulgenza di 100 giorni (*Clem. VIII*).

XII. Agli aggregati suddetti, che *accompagneranno qualche confratello alla sepoltura, od assisteranno alle esequie di esso, pregando pel riposo dell'anima sua*, Indulgenza di 3 anni (*Clem. VIII*).

*Ad cap. V. De festor. observ. n. 5.***Per la spiegazione del santo Vangelo.**

Benedetto XIV con suo Decreto 51 Luglio 1756 per organo della S. C. delle Indulgenze concede l'Indulgenza di 7 anni ed altrettante quarantene ai Fedeli Cristiani ogni volta che *divotamente assistono alla spiegazione del santo Vangelo*, che si fa dai signori Curati nelle rispettive Parrocchie nei giorni di Domenica, e nelle maggiori solennità dell'anno, ed Indulgenza Plenaria nei dì della Nascita di N. S. G. C., di Pasqua di Risurrezione e dei SS. Apostoli Pietro e Paolo (ed il Pontefice Pio VI con Rescritto della detta S. Congregazione 11 Dicembre 1784 la estese anche alla solennità dell'Epifania e della Domenica di Pentecoste), purchè in detti giorni *confessati e comunicati assistano parimenti alla spiegazione del S. Vangelo.*

Le sopra indicate Indulgenze possono altresì lucrarsi anche dai Parrochi o da altri che talvolta per essi suppliscono a *spiegare il S. Vangelo* come consta dal citato Decreto di Papa Pio VI.

*Ad cap. IX. De santiss. Eucar. § 3, n. 4.***Pro Commun. in sex Domin. diebus S. Aloysii Gonzage.**

Benedictus XIII Fidelibus = omnibus utriusque sexus, qui *sex dominicos dies* ante illius festum, sive alias per annum *vere pœnitentes sacraque communionem refecti, piis meditationibus, aut orationibus, aliisque christianæ pietatis operibus ad ejusdem Sancti honorem ac Dei gloriam* vacando sanctificaverint, Plenariam singulis dominicis peccatorum suorum Indulgentiam concessit S. C. *Ind. 11 Dec. 1759, et 7 Jan. 1740. =*

*Ad cap. XIV. De indulg. n. 14.***I. Per l'Orazione Mentale.**

Benedetto XIV a tutti coloro che faranno *ogni giorno una mezz'ora o almeno un quarto d'ora di Orazione Mentale* concede in perpetuo Indulgenza Plenaria una volta il mese, da conseguirsi

in quel giorno in cui *confessandosi e comunicandosi pregheranno Iddio per la concordia tra' Principi Cristiani, ec.*; e questa Indulgenza può applicarsi anche per modo di suffragio alle anime del Purgatorio, come dalla Bolla *Quemadmodum* 16 Dicembre 1746.

### II. Per i 5 Pater, etc., nel Venerdì.

Benedetto XIV con suo Breve *Ad Passionis* 15 Dicembre 1740 concede 100 giorni di Indulgenza a tutti i fedeli dell'uno e dell'altro sesso i quali nei giorni di Venerdì alle ore 21 al suono della campana genuflessi reciteranno cinque Pater Noster ed Ave Maria in memoria della Passione e delle agonie del nostro Divin Redentore Gesù Cristo.

### III. Gli Atti delle Virtù Teologali.

Benedetto XIV con suo Rescritto 11 Dicemb. 1754 concede in perpetuo Indulgenza Plenaria applicabile anche alle anime del Purgatorio una volta al mese a tutti i fedeli che divotamente *reciteranno e col cuore faranno ogni giorno gli Atti delle Virtù Teologali, Fede, Speranza e Carità, da acquistarsi in quel giorno in cui si confesseranno e comunicheranno pregando secondo il solito per la S. Madre Chiesa, ec.* -- Di più in punto di morte concede parimenti Indulgenza Plenaria, e finalmente Indulgenza di 7 anni e 7 quarantene applicabile alle anime del Purgatorio ogniqualvolta divotamente *si faranno col cuore, e si reciteranno i medesimi Atti, come da Decreto della S. C. delle Indulgenze* 28 Gennaio 1756.

### IV. Per la recita dell'Angelus Domini.

Benedetto XIII a tutti i Fedeli Cristiani dell'uno, e dell'altro sesso, che al segno della campana o la mattina, o nel mezzo giorno, o la sera tramontato il sole *reciteranno genuflessi ogni giorno l'Angelus Domini etc., con tre Ave Maria, concede in perpetuo l'Indulgenza Plenaria, e remissione di tutti i peccati una volta il mese da acquistarsi in quel giorno, in cui confessati e comunicati, pregheranno il Signore per la pace, e concordia tra Principi Cristiani,*

per l'estirpazione dell'eresie, e per l'esaltazione dalla Santa Madre Chiesa.

Di più concede 100 giorni d'Indulgenza a tutti i fedeli ogni volta, che *veramente contriti reciteranno* come sopra l'*Angelus Domini, etc.*, come consta da un suo Breve de' 14 Settembre 1724. E tutte queste Indulgenze non rimangono sospese nè anche nell'anno santo, come dichiarò lo stesso Pontefice a dì 10 Gennajo 1725.

Benedetto XIV poi, a dì 20 Aprile 1742, confermando le dette Indulgenze, dichiarò, che l'*Angelus Domini, etc.*, si dicesse *in piedi tutte le Domeniche* dell'anno incominciando dai primi Vespri, cioè dalla sera del Sabato, e che *nel tempo Pasquale* in suo luogo si dicesse *in piedi la Regina Cæli, etc.*, col versetto, ed orazione corrispondente *Deus, qui per resurrectionem, etc.* Quelli poi che non sapranno a mente la *Regina Cæli, etc.*, acquisteranno le medesime Indulgenze recitando come sopra l'*Angelus Domini, etc.*

E qui si deve avvertire; *Primo*: Che le persone religiose dell'uno e dell'altro sesso, ed altre che vivono in Comunità, non potendo dire l'*Angelus Domini, etc.*, o la *Regina Cæli, etc.*, secondo la diversità de' tempi al suono della campana, come sopra si è detto, perchè in tali ore sono impiegate in qualche esercizio prescritto dalle rispettive regole, e costituzioni, potranno acquistare le sopraddette Indulgenze, se subito terminato detto loro esercizio, reciteranno l'*Angelus Domini, etc.*, come dichiarò il nominato PP. Benedetto XIII per mezzo della S. C. delle Indulgenze con Rescritto dei 5 Dicembre 1727.

*Secondo*: Che i Fedeli tutti trovandosi in luoghi, dove manca il suono della campana, potranno acquistare le sopra dette Indulgenze, se circa le ore determinate della mattina, o del mezzo giorno, o della sera, tramontato il sole, reciteranno come sopra secondo la diversità dei tempi l'*Angelus Domini, etc.*, o la *Regina Cæli, etc.*, secondo il Rescritto di PP. Pio VI dei 18 Marzo 1781.

### L' ANGELUS DOMINI

✠. Angelus Domini nuntiavit Mariæ, et concepit de Spiritu sancto.

℞. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus Fructus ventris tui, Jesus.



Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc, et in hora mortis nostræ. Amen.

Ÿ. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

℞. Ave Maria, ecc.

Ÿ. Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.

℞. Ave Maria, ecc.

*Indi si può conchiudere col seguente:*

Ÿ. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.

℞. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

#### OREMUS

Gratiam tuam, quæsumus Domine, mentibus nostris infunde; ut qui Angelo nuntiante Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per Passionem ejus, et Crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℞. Amen.

*Nel tempo Pasquale, cioè dal mezzo giorno del Sabato Santo a tutto il mezzo giorno del Sabato dopo la Domenica di Pentecoste, invece dell'Angelus Domini, etc., deve dirsi in piedi la seguente:*

Regina Cæli lætare, alleluja. Quia quem meruisti portare alleluja. Resurrexit, sicut dixit, alleluja. Ora pro nobis Deum, alleluja.

Ÿ. Gaude, et lætare, Virgo Maria, alleluja.

℞. Quia surrexit Dominus vere, alleluja.

#### OREMUS

Deus, qui per Resurrectionem Filii tui Domini nostri Jesu Christi mundum lætificare dignatus es, præsta quæsumus, ut per ejus Genitricem Virginem Mariam perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℞. Amen.

#### V. Pro jaculatoria *Geni into misericordia.*

Decretum ex Audientia Sanctissimi die 23 Septemb. 1846.

Ad humillimas preces P. Peruzzo ex Ordine Minorum Conventualium sancti Francisci sanctissimus Dominus noster Pius Papa IX

benigne inclinatus omnibus utriusque sexus Christifidelibus corde saltem contrito jaculatoriam *Gesù mio misericordia*, devote pronuntiantibus, Indulgentiam 100 dierum pro singulis vicibus, animabus quoque in Purgatorio detentis applicabilem, tam a Leone XII quam a Gregorio XVI fel. rec. vivæ vocis oraculo concessam, non modo confirmavit, verum etiam perpetuis futuris temporibus validuram esse voluit absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romæ ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum.  
Loco † Sigilli.

F. Card. BRIGNOLE, *Pro-Præf.*

JACOBUS GALLO, *Secretarius.*

#### VI. Per la Via Crucis.

Il divoto esercizio della *Via Crucis* è arricchito di tutte quelle Indulgenze, che sono state concesse dai Sommi Pontefici ai fedeli cristiani, che personalmente visitano i luoghi santi di Gerusalemme. Per conseguirle si richiede che nel visitare la *Via Crucis* si vada *considerando la Passione* del nostro divin Redentore, e che *si passi da una stazione all'altra* per quanto permette o la moltitudine delle persone che visitano la *Via Crucis*, o la ristrettezza del luogo dove sono erette le 14 stazioni (Bened. XIII *Inter plurima* 5 Mart. 1726, Clem. XII *Exponi nobis* 16 Jan. 1751, Decr. C. S. Indulg. 5 Apr. 1751, Bened. XIV *Cum tanta* 30 Aug. 1741).

Quindi il recitare a ciascuna delle stazioni *ψ. Adoramus te, Christe, etc.*, il *Pater Noster*, l'*Ave Maria* col *ψ. Miserere nostri* è soltanto un pio e lodevole costume, come dichiarò la S. C. delle Indulgenze negli *Avvertimenti da praticarsi* nel detto Esercizio n. 6 e 9 pubblicati per ordine e con approvazione di Clem. XII il 5 Aprile 1751.

#### VII. Per l'Opera Pia della Propagazione della Fede.

Per essere associati a quest'Opera tanto raccomandata dalla S. Sede due cose abbisognano: 1.º *La recita di un Pater ed Ave quotidiano* (od applicare a questo fine una volta per sempre quello che si recita la mattina o la sera nelle Orazioni quotidiane) colla

invocazione — *S. Francesco Saverio pregate per noi.* — 2.º *L'elemosina settimanale di 5 centesimi* a favore delle missioni (per i poveri basta anche minore secondo le facoltà e la coscienza di ognuno, fatta una volta al mese) la quale deve farsi pervenire al Consiglio dell'Opera in Lione di Francia od alla Propaganda di Roma immediatamente consegnandola o a chi nella Diocesi propria od altrui sono destinati a Collettori, od ai capi di Decina di Associati, i quali sono incombenzati a trasmetterla ai suddetti Collettori Diocesani.

I sommi Pontefici PIO VII, LEONE XII, PIO VIII, GREGORIO XVI, PIO IX hanno concesso a tutti i membri dell'Opera pia le seguenti Indulgenze, applicabili alle anime del Purgatorio.

*Indulgenze Plenarie*, il 3 Maggio (anniv. della fondaz. dell'Opera); il 3 Dicembre (festa patronale); il giorno dell'Annunziazione e quello dell'Assunzione; due giorni di ciascun mese, a scelta degli Associati; una volta l'anno, per la commemorazione generale degli Associati defunti; una volta l'anno per la commemorazione speciale dei defunti della Divisione o della Decuria alla quale si appartiene; all'articolo di morte, per ogni Associato che invoca il santo nome di Gesù. I fanciulli, che non hanno fatto ancora la prima Comunione possono egualmente conseguire queste Indulgenze.

*Indulgenze Parziali.* Trecento giorni ogni volta che un Associato assisterà al Triduo del 3 Maggio e del 3 Dicembre; cento giorni ciascuna volta che un Associato adempirà, in favore delle Missioni, un'opera qualunque di pietà o di carità.

*Favore dell'Altare privilegiato* per ogni Messa detta in nome d'un Associato a suffragio d'un Membro defunto. Medesimo privilegio personale, cinque volte la settimana, ai Sacerdoti che sono capi di Divisione.



## APPENDIX IV.

*Ad cap. X, De sacram. Pœnitent. n. 14.*

### PRECES DICENDÆ ANTEQUAM EXCIPIANTUR CONFESSIONES

*(Ex S. Car. Borrom. Instruct. Confessariorum).*

- V. Cor mundum crea in me Deus.  
 R. Et spiritum rectum innova in visceribus meis.  
 V. Ne projicias me a facie tua.  
 R. Et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.  
 V. Redde mihi lætitiã salutaris tui.  
 R. Et spiritu principali confirma me.  
 V. Docebo iniquos vias tuas.  
 R. Et impii ad te convertentur.  
 V. Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ.  
 R. Et exultabit lingua mea justitiã tuam.

#### *Oratio.*

Domine Deus omnipotens, propitiuss esto mihi peccatori, ut digne possim tibi gratias agere, qui me indignum propter tuam magnã misericordiam ministrum fecisti officii sacerdotalis, et me exiguum humilemque mediatorem constituisti ad orandum et intercedendum ad Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum pro peccatoribus, et ad pœnitentiã revertentibus. Ideoque dominator Dominus, qui omnes salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, sed ut convertantur et vivant, suscipe orationem meam quam fundo pro famulis et famulabus, tuis, qui ad pœnitentiã venerunt; da illis spiritum compunctionis ut respiciant a diaboli laqueis, quibus adstricti tenentur, ut ad te per dignam satisfactionem revertantur. Per eundem Dominum.

## ALIA ORATIO

Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem Sapientiam, ut sciam judicare populum tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio. Fac me ita tractare Claves Regni Cælorum, ut nulli aperiãm cui claudendum sit, nulli claudam cui aperiendum sit. Sit intentio mea pura, zelus meus sincerus, caritas mea patiens, labor meus fructuosus. Sit in me lenitas non remissa, asperitas non severa; pauperem ne despiciam, diviti ne aduler. Fac me ad alliciendos peccatores suavem, ad interrogandos prudentem, ad instruendos peritum. Tribue, quæso, ad retrahendos a malo solertiam, ad confirmandos in bono sedulitatem, ad promovendos ad meliora industriam; in responsis maturitatem, in consiliis rectitudinem, in obscuris lumen, in implexis sagacitatem, in arduis victoriã; inutilibus colloquiis ne detinear, pravis ne contaminer; alios salvem, meipsum non perdam. Amen.

### URBIS ET ORBIS

#### DECRETUM

*ex Audentia SS. die 27 Martii 1854*

*Ad preces humillimas R. Patris Jacobi Pignone del Caretto Clericorum Regularium Theatinorum Præpositi Generalis S. D. Noster Pius IX benigne inclinatus, omnibus et singulis Confessariis in universo Orbe Catholico existentibus supraenunciatam Orationem, antequam ad sacramentales excipiendas Confessiones assideant, corde saltem contrito, et devote recitantibus centum dierum Indulgentiam semel tantum in die acquirendam, clementer est elargitus.*

*Præsent. perpet. futuris temporibus valitur. absque ulla Brevis expeditione.*

*Datum Romæ ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum.*

F. Card. ASQUINIUS, *Præfectus.*

A. COLOMBO, *Secretarius.*

# APPENDIX V.

*Ad cap. X. De sacram. Pœnitentiæ n. 50.*

CIRCA CASUS RESERVATOS



## NOS CAJETANUS COMES BENALEUS

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

SANCTÆ LAUDENSIS ECCLESIE EPISCOPUS

PRESBYTERIS OMNIBUS ET SINGULIS TAM SÆCULARIBUS QUAM REGULARIBUS

QUIBUS IN NOSTRA DIOECESI

ORDINARIA VEL SUBDELEGATA FACULTAS FACTA EST

SACRAMENTUM PœNITENTIÆ MINISTRANDI

SEQUENTIA INDICIMUS SERVANDA QUO AD CASUS NOBIS RESERVATOS

I.

### RÈGULÆ GENERALES

Ut peccatum pro reservato habeatur adeo ut a simplici Sacerdote specialem facultatem non habente nec licite nec valide absolvi pœnitens possit, præter ceteras condiciones a jure induetas, quas communiter Theologiæ Moralis doctores exponunt, sequentes quoque adesse volumus quo ad Casus Nobis Reservatos.

1. Peccatum vel in eo facti adminiculo, quod implet literam reservationis, oportet ut sit certum in ipso momento Confessionis: adeo ut pœnitens de eo facti adminiculo dubitans absolvi possit a simplici Confessario, etsi dimissus brevi posset certiorari; nisi antea culpabiliter et in fraudem reservationis certiorari, eum facile posset, omisisset, ut a Confessario sine mora absolveretur; vel nisi ex quavis causa a Confessario dimissus, deindeque ad confitendum reversus

certitudinem facti et circumstantiarum reservationem inducentis consentus esset.

2. Peccati certitudo quo ad factum, ex pœnitentis narratione et Confessarii interrogationibus constare debet, quin adhibendæ sint circa res obscœnas interrogationes, a quibus prudenter tunc abstinendum censeat Confessarius.

3. Peccatum debet esse certo reservatum ita ut absit etiam dubium juris.

4. Pœnitens qui in prudenti dubio facti vel juris a Confessario facultate carente fuerit absolutus et deinde facti vel juris veritatem cognoverit, volumus ut peccatum suum uti certum denuo confiteri valeat apud quemlibet simplicem Confessarium, ab eoque absolvi.

4. Peccatum Nobis aliunde reservatum quod inculpate oblitum fuerit in Confessione, cui accessit Absolutio etsi impertita a Confessario facultate carente in reservatis, amplius reservationi obnoxium esse nolumus, adeo ut, cum in memoriam redierit, sufficiat illud confiteri apud quemlibet simplicem Confessarium.

5. Nolumus ut reservatio Nostra obsit validitati Absolutionis, quando et pœnitens eam accipens bona fide ignorat defectum facultatis Confessarii in reservatis, et Confessarius ipse ex inadvertentia, etsi forte culpabili, non tamen ex directa malitia et usurpatione facultatis, incaute eam impertit.

## II.

# DECLARATIONES

## CASUS I.

### *Ecclesiam polluentes.*

Nomine Ecclesiæ donantur loca ab Episcopo consecrata, vel ab eo ejusve delegato benedicta, ut in iis celebrari possint Missa et Divina Officia, prout sunt templa et publica Oratoria, non autem privata. Qui intra Ecclesiæ internum spatium, aut cappellam erga illud spatium apertam perpetrat homicidium, vulnus lethale infligendo, vel venenum propinando, etsi mors extra Ecclesiani

sequatur, non econtra; vel criminose humanum sanguinem aut humanum semen effundit, etsi non inficiendo parietes aut pavementum; vel sepeliat excommunicatum vitandum aut infidelem nondum catechumenum, is criminis reservati reus efficitur si crimen sit notorium, idest si ad notitiam octo personarum ultra reos pervenerit.

### CASUS II.

*Blasphemia hæreticalis verbis expressa saltem coram duobus audientibus et percipientibus, ad minus tribus vicibus in mense.*

Blasphemia hæreticalis est quævis contumeliosa locutio contra Deum vel Sanctos, quæ aliquem exprimit errorem contra fidem, aut dubium circa quodvis articulum fidei catholicæ. Quæ ut reservationi subiaceat non nutibus tantum aut scriptis, sed verbis manifestari debet; simulque oportet, ut non solum blasphemus advertat hæreticalem verborum sensum, verum etiam ut duæ saltem personæ ipsum audiant, et intelligant; ac denique, ut per habitum proferatur, idest saltem tribus vicibus per mensem, nempe in decursu triginta dierum, qui computandi sunt a die tantum ultimæ Absolutionis valide susceptæ; ita ut si ex. gr. post Absolutionem perceptam de duobus blasphemis denuo in tale facinus quis iterum relabatur, etsi tali proximitate temporis ut a penultimo peccato blasphemie non adhuc triginta dies decurrerint, hæc ultima blasphemia non sit reservationi obnoxia. Item si vel unum desit ex supra requisitis conditionibus non habet locum reservatio. Quare quæ proferuntur in subito iræ æstu, sæpe ex defectu advertentiæ, quatenus a peccato saltem gravi excusantur, etiam a reservatione eximuntur.

### CASUS III.

*Qui diebus festis, nulla urgente necessitate, absque Parochi licentia, publicè per se vel per alios operibus servilibus vacaverint.*

Ad incurrendam hanc reservationem requiritur: 1. *Opus servile* et non sufficit *quasi servile* ut emptio et venditio, etc.: 2. *Duratio operis* quæ lethale peccatum inducat, quam pro hoc casu ad eliminandam perplexitatem a Confessariis determinamus in *spatio*



*trium horarum* etiam interruptarum: 3. Tempus *diei festi* nempe *dominici vel festi de præcepto* in quo interduntur opera servilia: 4. Quod nulla adsit sufficiens necessitas, et nulla Superioris (idest Ordinarii, vel Parochi aut Coadjutoris in ejus absentia) licentia, ita ut si adsit necessitas, etsi deficiente licentia; vel si adsit dispensatio, etsi forte deficiente necessitate, cesset reservatio: 5. Demum quod opus *publice* agatur, idest in *loco publico*, etsi forte nemo conspiciat: non autem sufficit ad peccatum reservatum si opus agatur in loco privato, etsi plures id conspiciere contingat, vel etsi plures personæ ad notorietatem facti sufficientes adsint. Publicus autem locus est vel *per se*, qualis est platea, via, ager, nemus, vinea, hortus non ita clausus ut facile introspecti nequeat; vel ex habituali destinatione, ut domus quæ ad artis aut officii exercitium cum quadam publicitate dicata est, atque *caævadium* (*corte, cortile*) quod aut satis patet quibuslibet transeuntibus, aut usui est saltem quinque familiis inquilinorum.

Incurrit vero reservationem in dictis circumstantiis tam qui personaliter agit, etsi pro alterius utilitate alteriusve jussu aut suasionem, quam qui mandat vel suadet efficaciter ut pro se vel pro aliis opus servile assumatur; si tamen reapse opus peragitur per tres horas non summatim constitutas ex operibus plurium personarum, sed ex opere continuato vel interrupto unius saltem ejusdemque personæ.

#### CASUS IV.

*Qui parentes percusserint, a quibus quisque genitus fuerit, aut avos vel avias sive paternos sive maternos.*

*Parentes* intelligit genitores dumtaxat naturales, idest a quo vere quis genitus est, præterea *avi et aviæ* item naturales sive ex parte patris, sive ex parte matris: ceteri omnes excluduntur. *Percussionis* nomine non quævis injuria intelligenda est, sed omnis et sola realis percussio, quæ fit ex animo injuriandi parentes sive immediate per manum, aut pedem, etc; sive mediate per virgam, ense, projectionem rei solidæ, puta saxi, ligni si effective percussat, etc. Percussio vero licet levis ratione nocuamenti, quoties gravis fit ratione injuriæ, æque subjacet reservationi.

## CASUS V.

*Homicidium voluntarium.*

*Homicidium voluntarium* hic dicitur potissimum quatenus distinguitur a casuali et ab inconsiderato ut infra. Si taliter voluntarium sit directe, aut indirecte, reservationi subjacet; ideoque hæc reservatio afficit eum: 1. Qui ipsemet alicui mortem realiter infert: 2. Qui mortem infert voluntarie ponendo causam proximam, nempe grave vulnus infligens, venenum alteri propinans, etc.: 3. Qui ira, odio, furore hominem, quem hominem esse agnoscit, interficit, etsi forte non sit ille, quem intendebat occidere: 4. Qui cum uno vel pluribus de condicto operam per se occisivam ponit, etsi ignoretur ex cujusnam istorum causa alter interierit: 5. Qui homicidium ope alterius perpetrat mandato, consilio aut approbatione, si mandatum, vel consilium, vel approbatio censi possint efficaces ad hoc ut alter facinus perpetraret: 6. Qui alterius mandatum, consilium, etc., exequitur hominem occidendo.

Verum non est reservatum hoc crimen nedum si casu fortuito per aliquem occisio eveniat, sed etiam: 1. Si revera non sequatur mors: 2. Si sequatur præcipue ex alia causa v. gr. ex imperitia medici, cum vulnus non fuerit per se lethale. — Itemque ob inconsiderantiam, quamvis lethale peccatum non desit, non erit reservatum: — 3. Si ad propriam defensionem homicidium fuit perpetratum, etsi non omnino servato moderamine inculpatæ tutelæ: 4. Si perpetratur ab eo, qui subito vindictæ appetitum percitus illum occidit, quem in flagranti, ut ajunt, crimine deprehendit: 5. Si illatum fuerit ex actione periculosa ob negligentiam cauteque quæ adhiberi debuerat: 6. Denique si quis gravi timore per alium illato percussus quemquam occidat.

## CASUS VI.

*Abortum procurantes.*

Qui dat operam per se efficacem ad dissolutionem fœtus humani saltem post integram diem ex quo conceptus fuit, vel conceptus fuisse præsumitur cum de contrario non constet, vel dat

operam ad immaturam ejectionem fœtus humani sive animati, sive inanimati, etiam ignoto, aut incerto, aut non secuto effectu, huic reservationi obnoxius est. Operam dare potest nedum mulier ipsa fœtum gerens, sed dedisse censentur etiam qui consilium aut mandatum præbuerint, aut operam vel favorem efficacem attulerint, aut quovis modo fuerint cooperati cum intentione abortus, v. g. præbendo pharmacum, mulierem graviter verberando, minis pavoribusque terrendo; non autem si id fiat absque intentione abortus.

Procurantes vero abortum fœtus animati vel ad id quovis modo operam dantes, secuto effectu, ipso facto innodantur excommunicatione et irregularitate, muliere sibi abortum procurante similiter comprehensa juxta aliquos, excepta autem juxta alios, inter quos S. Alphonsus Maria Liguorius (*Lib. 3, n. 395*). Ex dispositione autem Juris Canonici quo ad censuras incurrendas censetur animatus fœtus masculus completis 40 diebus, fœtus autem femineus completis 80 diebus a conceptione. Dictam irregularitatem relaxare Pontifici reservatum est: ab excommunicatione autem absolvere valent Episcopi, *omnesque Confessarii ad hos casus specialiter per loci Ordinarium deputati*: ita scilicet, ut qui facultatem absolvendi a crimine abortus reservato ab Ordinario impetraverit, etiam ab excommunicatione absolvere valeat. Ita statuit Gr. XIV. Const. *Sedes Apostolica* anni 1591, temperans Const. *Effrenatam* Sixti V anni 1588. Animadvertendum tamen est per decretum Concilii Provinc. Mediolan. VII relatum in Synodo nostra VII neminem posse a crimine abortus fœtus animati absolvere per solam generalem delegationem absolvendi a reservatis, sed peculiarem delegationem saltem ut supra pro hoc casu requiri.

## CASUS VII.

*Mulieres suffocantes etiam ex negligentia infantes quos nutriunt, et tenentes in lecto eosdem infantes ante annum completum absque debita cautione, repagulo scilicet vel aliquo pulvinari quod judicio Parochi, aut Confessarii, aut Medici, aut Obstetricis probata sufficiat ad avertendum suffocationis periculum, si a Parocho vel Confessario monitæ eos absque dicta cautione tenere non desinant.*

Quibus verbis duo distincte reservantur: 1. Crimen suffocationis sive directe voluntariæ, sive ex negligentia graviter culpabili.

Est autem suffocatio quemquam privare respiratione, qui exinde moriatur. Ob cuius periculum reservatur etiam: 2. Peccatum illarum mulierum, quæ infantes quos nutriunt ante annum completum detinent in lecto absque debita et sufficienti cautione.

Non cujusvis itaque infantis suffocatio reservatur, sed illorum tantum, qui nutriuntur, idest lactantur; *nutrire* enim est quemquam alere de propria substantia. Quare huic reservationi subjacent dumtaxat matres quæ propriam prolem, et nutrices quæ aliorum filios sive gratuito, sive ex luero habitualiter lactant, quoties alterutrum perpetrent, videlicet: 1. Vel eos culpabiliter suffocent, idque non solum intra annum, quia si lactatio protrahatur ulterius, adhuc reservata est suffocatio: 2. Vel eos detineant in lecto ante annum completum, absque cautione, de qua satis dicitur in reservatione. Ea sola tamen detentio reservatur quæ, pensatis omnibus circumstantiis et spectato præsertim periculo ne mulier somno corripiatur, a mortali culpa nequeat excusari.

Non subjacent vero reservationi mulieres quæ suffocant vel detinent in lecto infantes quos habitualiter non lactant, etiamsi aliquoties lactent vel alias lactaverint: nec subjacet mater aut nutrix quæ sedens infantem in lectum susceperit, ut esurientem et vagientem lactet statim in cunas reclinandum. Insuper secundum crimen non est reservatum nisi post inobservantiam monitionis, quæ facta fuerit individualiter a Parocho vel Vice-Parocho sive in Confessione sive extra Confessionem, vel a Confessario in tribunali Pœnitentiæ.

Præter hujusmodi reservationem in Conciliis Provincialibus Mediolan. quarto et sexto (Prov. IV pars. 2 *Quæ de Sacr. Baptis.* Prov. VI *De Bapt.*) lata est excommunicatio, non tamen reservata, contra detinentes in lecto quoslibet infantes, annoætatis non expleto, sine debita cautione ab Episcopo præscripta eisque singillatim a Parocho demonstrata, qua excommunicatione ipso facto innodantur non matres solum et nutrices, verum etiam omnes qui, cum curam gerant infantis, eum detinent in lecto absque cautione, vel alios detinere cogunt vel impediunt quominus cautionem adhibeant; quoties tamen in singulis mortaliter peccasse judicentur.

### CASUS VIII.

*Cum brutis coeuntes.*

Monstruosum hoc peccatum in cujusque sexus individuo reservatur, si in quocumque vase consummatus sit coitus ad modum sive agentis sive patientis.

### CASUS IX.

*Peccatum sodomice perfectæ etiam attentatum.*

Perfecta dicitur, quando perpetratur inter ejusdem sexus personas, et in quocumque vase, etiamsi patiens ratione ætatis vel infirmitatis, etc., impotens sit. Reservatur hoc crimen etiam tantummodo attentatum, idest si corporalis actus sodomiticus inter utramque personam fuerit inceptus. Agentis aut patientis ratio nullum habet in reservatione discrimen.

### CASUS X.

*Pater, aut Mater, aut Maritus lenocinium uxori aut filiabus præstantes, aut consentientes ut filia vel uxores se prostituunt.*

*Lenocinium præstare* est mediator fieri aut quovis modo, etiam una tantum vice, operam alteri præbere ad turpia corporalia commercia (non autem ad actus tantum imperfectos), vel procurare prostitutionem mulieris. Differt a consensu, quia illud longe majorem malitiam importat. *Consensus Patris, etc., in prostitutione filia, etc.,* sive expressus sive tacitus, si quovis modo efficax sit, reservatione multatur. Veruntamen tam lenocinium, quam consensus non cadunt sub reservatione nisi pro fine habeant prostitutionem. Est autem *prostitutio* evulgatio corporis quæstus causa. Quare non fiunt reservationi obnoxii parentes nec mariti, qui filias vel uxores alliciant, ut amicis complacere absque intentione lucri; neque etiamsi consentiant ob luerum ut semel vel bis turpe commercium habeant, propter hoc enim non habetur corporis evulgatio: bene vero erunt reservationi obnoxii si ter cum diversis vel quinquies cum uno ex intentione lucri turpe

commercium habere permiserint, et multo magis si lenocinium præstiterint. Quod si ut absolute evulgatio incipiatur, vel evulgatione quamvis absque parentum vel mariti consensu jam facta, lenocinium vel consensum una tantum vice præstant, in reservationem incidunt. Quin imo cum prostitutionis consensus ex parte alterutrius parentis aut viri consistat in ipsa concessione facta filiae vel uxori ad evulgationem corporis, aderit reservatio si revera externo positivo, vel negativo quovis modo concessio data sit, quamvis forte nulla actio turpis sit consecuta.

Præter parentes naturales et maritum legitimum, vel qui saltem de matrimonio sui validitate prudenter non dubitat, nemo huic reservationi obnoxius fieri potest.

#### CASUS XI.

*Incestus cum consanguineis vel affinibus in primo et secundo gradu, nec non cum cognatis spiritualibus.*

Ut incestus sit reservatus requiritur: 1. Ut perpetrans sciat se esse propinquitatem alterutrius ex duobus gradibus, vel spiritualis cognationis devinetum cum peccati complice: 2. Ut sit consummatus, non tamen sodomitice, nec alio quovis modo contra naturam, tunc enim non esset reservatus. Inter personas vero legali inter se cognatione devinctas incestus non est reservatus.

Quo vero ad cognationem spiritualem immunes sunt ab hac reservatione: 1. Qui baptizatum infantem, vel confirmatum physice non attigerunt: 2. Qui attigerunt, sed in baptismo invalide collato, aut valide quidem sed domi, quamvis ex necessitate aut ex Episcopi venia: 3. Qui sponsores fuerunt tantum dum caeremoniæ solemnes supplebantur: 4. Qui patrini fuerunt vel baptizantes in baptismo sub conditione vel dubio: 5. Qui nondum confirmati in Confirmationis sacramento patrini vel matrinæ munere functi sunt.

Præter reservationem, conjugatus qui scienter incestum consummaverit cum consanguineis alterius conjugis in 1<sup>o</sup> et 2<sup>o</sup> gradu per legem Ecclesiæ privatur ipso facto jure petendi debitum conjugale, et nisi ab Episcopo vel ejus delegato hoc jure donari non potest. Quando autem conceditur facultas absolvendi a crimine incestus, per hoc non tribuitur facultas, specialiter semper impe-

tranda, dispensandi ab impedimento petendi debitum. Si quis tamen ante dispensationem debitum petat, peccatum illius minime est reservatum.

### CASUS XII.

*Qui sponsalia contraxerint, si una ante coierint quam matrimonium celebratum sit.*

Sponsalium nomine donatur mutua viri mulierisque promissio utrinque acceptata de futuro matrimonio inter se ineundo. Ut fornicatio inter sponsores reservationi subiaceat, hæc duo semper requiruntur: 1. Ut fornicatio habeatur post sponsalia valida secundum Jus Ecclesiasticum, absoluta vel saltem quæ conditionis implementum jam sortita sunt, et nullatenus rescissa: 2. Ut fornicatio fuerit naturaliter et perfecte consummata. Quare ex actibus imperfectis vel contra naturam non incurritur reservatio.

### CASUS XIII.

*Incendiarii, et qui vindictæ injuriæve causa vites vel arbores inciderint.*

Hisce verbis duo crimina reservantur. De primo. *Incendiarii* dicuntur qui scienter et pravo animo contra justitiam aliena incendunt sive mobilia sive immobilia. Qui absque directa intentione est causa incendii licet culpabilis, non est reservationi obnoxius: non enim proprie incendiarius vocatur. Ad reservationem vero hujus criminis quatuor semper concurrere debent: 1. Ut ex malo animo fiat contra proximum, et data opera: 2. Ut privata non publica auctoritate fiat, quare incendium in bello justo non subjacet reservationi: 3. Ut aliena conburantur; qui tamen propria incendit ex directa intentione, ut exinde ignis ad aliena extendatur, reservationi subjacet: 4. Denique ut incendium non solum attentatum sit, sed revera sequatur eum gravi et injusto damno proximi.

Quo ad secundum crimen, neminem latet quid veniat nomine *vitis*. *Arbores* autem vocantur omnes plantæ sive fructiferae sive non, quæ per radices de humore terræ vivunt, et etiamsi a terra

avulsæ sint, quoties adhuc replantari queant. Virgulta non comprehenduntur. Sola arboris *incisio* reservatur, videlicet quæ fiat per quodvis ferrum: quare nec qui arborem radieitus evellit, nec qui aufert incisam reservationi subiacet. Imo non quævis *incisio* reservatur, sed *sola quæ fiat directa intentione gravis damni, vel gravis injuriæ proximi*. Quare qui vitem vel arborem incidere causa indigentiae vel etiam rapacitatis, non est obnoxius reservationi. Attamen licet non inferatur grave damnum *sola etiam gravis injuria directe volita* ad reservationem sufficit: istæ enim clausolæ disjunctive ponuntur in casu.

#### CASUS XIV.

*Legata vel Livella ut pias Causas, aut Decimas non solventes.*

*Legatum* ad pias Causas hic sumitur pro obligatione pecuniam solvendi, vel cedendi aliquod bonum mobile vel immobile piæ alieni Causæ sive semel tantum, sive annuatim aut pluries in quovis anno; quæ obligatio quia inducitur plerumque ex Legato in Testamento, ideo *Legatum* dici consuevit: sed hic extenditur ad similes obligationes etiam ortas ex alio quovis Ultimo validoque Voluntatis Actu, ac etiam ex Donatione inter vivos, etc. *Livellum* vero hic sumitur non striete tantum sed etiam pro Emphiteusi, Ficto perpetuo, Censu vel Canone item perpetuo, qui solvi debet annuatim vel pluries in quovis anno in favorem Causæ piæ. *Decima* demum dicitur obligatio solvendi Ecclesiæ ministris ad eorum sustentationem determinatam quantitatem fructuum ex vineis, agris, nemoribus, etc., quæ alicubi ex usu permutata est cum determinata quantitate pecuniæ, quæ Ecclesiæ ministris statis temporibus æquali vel proportionali ratione tribui debet a singulis Christifidelium familiis, vel familiarum individuis in solidum, vel singulatim.

Itaque sive dominus, sive administrator, sive procurator bonorum alterius, qui cum teneatur ac possit, detrectat vel differt solvere Legatum, vel Livellum, vel Decimam, ita ut graviter lesum censeatur jus Ecclesiæ, Loci pii vel Causæ piæ, vel Ministrorum Ecclesiæ, peccatum mortale committit, et reservationem incurrit, ideoque absolvi nequit nisi postquam Legatum solverit; tunc enim a quocumque Confessario ab isto peccato absolvi poterit. Gravis



est lesio juris illius et sufficiens ad reservationem incurrendam, quando absque ulla gravi causa excusante quis *penitus denegat, aut deffert diutius* (*Prov. VIII. De Leg. Piis*) solvere talem summam, et per tale temporis spatium ex quo, iudicio prudenti, graviter Ecclesia Ecclesiæve Ministri, vel Animæ purgantes, vel pauperes miserabilesque personæ graviter damnificentur. Dilationis autem spatium computari debet a die, quo ex iure, vel ex pacto, vel ex usu communiter recepto solvenda erant. Juvat autem hic adnotare in Concilio Provinciali VII (*Loc. cit.*) injunctum fuisse Episcopis, ut edicto generali proponerent interdicti ab ingressu ecclesiæ pœnam ipso facto incurrendam illis qui piorum Legatorum executionem ultra biennium differunt.

Hanc reservationem non incurrunt: 1. Mutuatarii et conductores honorum stabilium, si non solvant annum fructum, vel annum pretium locationis, etsi ad Causam piam pecunia inscrivere deberet, quia non sunt Legatarii, nec Libellarii nec ouus habentes ut solvant directe pro implemento Legati ad piam Causam: 2. Nec administratores Causarum piarum qui bona earum non fideliter servant aut non impendunt ad finem proprium institutionis, nisi ad ipsos attineret ex redditibus Causæ piæ solvere certam summam alteri Ecclesiæ vel loco aut Causæ piæ ad implementum alterius piæ dispositionis, etsi eam summam non sibi usurparent sed piæ Causæ a se administratæ servarent: 3. Nec demum Sacerdotes quatenus Missas ex Legatis non celebrant, vel alia pia onera non implent, quia non de tali implemento, sed de solutione reali qua pia onera impleri fiunt sermo est in littera reservationis.

#### CASUS XV.

*Conficientes libellos infamatorios, illisque consilium, auxilium, vel favorem præstantes.*

Libellus infamatorius, de quo dicitur, est quævis scriptura vel impressio typographica, aut lithographica, etc., litteris expressa, vel mixta ex litteris et figuris, quæ gravem et injustam contineat de tractionem bonæ famæ sive viventis sive defuncti.

Ut culpa reservationi subjaceat necesse est, ut alterius crimem respective grave et occultum scriptis quovis modo mandetur, aut

typis imprimatur eum intentione scriptum divulgandi. Quare non est obnoxius reservationi qui libellum conficiat absque intentione illum publicandi, aut cum intentione illum exhibendi dumtaxat uni vel alteri perlegendum. E contra vero reservationi subjacet qui confecerit cum intentione divulgandi etsi postea pœnitentia ductus non evulgaret; atque ille etiam qui conficit absque intentione divulgandi sed prœvidens ab aliis evulgatum iri.

Eadem reservatione ligantur omnes qui efficax *consilium* vel *auxilium* vel *favorem* ipsis conficientibus dederint. Quare qui libellos ab aliis confectos evulgat aut affligit, quamvis graviter peccet, est tamen immunis a reservatione. Qui vero etiam tantum quasi emanuensis conscripserit libellum, quod noverit infamatorium esse et evulgandum, reservationi subjacet.

Præter hanc reservationem in Cone. Prov. V Mediolanensi statutum est ut *qui libellos famosos scripserint, ediderint, divulgaverint, excommunicationis lætæ sententiæ pœna statim mulentur*. Hæc excommunicatio reservatur Episcopo, quatenus illi spectat judicare de reparatione antea peracta.

#### CASUS XVI.

*Caupones qui per se, vel per alios, cibos ab Ecclesia vetitos adventoribus ultro offerunt, et omnes, qui absque legitima causa publice eosdem cibos comedunt.*

Caupones sunt qui vulgo dicuntur, *Osti, Albergatori, Bettolieri, Caffettieri, Tratteuri o Trattori*. Non comprehenduntur his inservientes, quia non sunt vere caupones; neque uxores Cauponum, nisi ipsorum nomine negotium agatur; neque filii aut filii ipsorum donec in patris potestate domi degunt, etsi post vigesimum quartum annum completum; sed comprehenduntur ceteri consanguinei et affines quando ad majorem ætatem perventi voluntariam negotii societatem vel expresse vel tacite retinent.

In primis isti omnes reservationem incurrunt quando *per se*, idest ipsi personaliter, vel *per alios*, fanulos nempe, filios, uxorem, consanguineos, affines, amicos, etc., imperio, hortatione, suasionem, vel tacito consensu ad offerendos cibos vetitos inducunt.

*Ultro offerre* autem dicuntur, nedum quando non rogati nec jussi præbent realiter cibos vetitos, sed etiam quando antequam

cibi vetiti petantur, eos expressis verbis suggerunt adventoribus vel talem cibum nominando, vel generatim cibos tunc vetitos, ex gr. carnem in die Sabbati. Sed requiritur ad reservationem ut offeratur ad comedendum ibi, vel alibi asportandum ob proximam et illicitam comestionem ex violatione præcepti Ecclesiæ, aliter non esset peccatum, vel non esset reservatum.

*Cibus vetitus* est qui tali die ab Ecclesia interdicitur, etsi liquidus tantum esset uti exempli gratia juseulum, lac, etc.

*Adventores* vero intellige eos qui ad procurandum sibi cibum per solutionem pretii cauponam adeunt, etsi una tantum vice. Unde non esset peccatum reservatum ex parte cauponis si exhiberet amicis et consanguineis, nisi forte et ipsi tamquam adventores accesserint. Neque esset reservatum si exhiberetur iis de quibus constat vel infirmitate vel legitima dispensatione validam causam habere ad comedendos tales cibos; etsi forte ex publicitate non deesset scandalum.

Secundo loco comprehenduntur *omnes qui absque legitima causa* vel infirmitatis, vel dispensationis, vel necessitatis, quæ sufficiat ad tollendum peccatum lethale ex comestione (etsi forte adesset peccatum lethale ob scandalum) *cibos* ut supra *vetitos* publice comedunt.

*Publice* autem comedunt si eos sumunt in loco vel qui est publicus per se, vel qui est publicus (idest quibuscumque paratus) ad comestionem. Locus publicus per se est platea, via, etc., quæ facile quibuslibet patere solent, vel cavædium (*corte, cortile*), quando aut satis patet quibuslibet, aut usui est saltem quinque familiis inquilinorum. Deinde publicus est locus ad comestionem qui ad hoc quibusvis parari solet, ut sunt cauponæ idest *Osterie, Bettole, Caffè, Alberghi, e Trattorie*. Comestio antedicta in primæ vel secundæ speciei locis publicis peracta reservationi subjacet, etsi non esset notoria, nempe si ex casu tunc unus tantum vel alter, aut nemo comedentem conspexerit, nisi cum quis in cubiculo clauso secedat cum uno vel altero tantum. E contra si comestio fieret in domo privata, etsi coram pluribus personis, vel etsi fama delicti propagaretur in vulgus, quum tamen non fuerit publice peracta, ideo reservationi non esset obnoxia.

## III.

## FACULTATES

Auctorite Nostra Ordinaria has impertimur circa Casus Nobis Reservatos facultates

## CONFESSARIIS OMNIBUS

Absolvendi quoscumque pœnitentes

- I. Ab illis casibus Nobis reservatis, in quos inciderunt ante certo completum ætatis annum decimum quartum si masculi, duodecimum vero si feminæ fuerint:
- II. Ab omnibus casibus Nobis reservatis,
  1. Ægrotos,
  2. Degentes in Conservatoriis,
  3. Inclusos in Carcere,
  4. Sponsos qui intra octiduum sint probabiliter iuituri Matrimonium,
  5. Eos qui generalem totius vitæ, vel plurium annorum Confessionem instituunt,
  6. Eos laicos qui nequirent absque scandalo vel infamiæ nota communionem tunc omittere; atque etiam Clericos in eadem urgenti circumstantia, et Sacerdotes celebraturos, qui ex eadem ratione nequirent Missam omittere: excipe tamen Clericos, vel Sacerdotes, si Confessarius non sit approbatus etiam pro Clericis, vel etiam pro Sacerdotibus.

## PAROCHIS

ET VICEM PAROCHORUM DE MANDATO NOSTRO GERENTIBUS

Absolvendi quoscumque pœnitentes etiam

- I. A casibus 4º, 8º et 9º,
- II. A casu 11º excepto incestu in primo consanguinitatis vel affinitatis gradu,

- III. A casu 14<sup>o</sup> pro prima vice, etiam antequam solverint, si id serio promittant,
- IV. A casu 16<sup>o</sup>, si semel tantum vel iterum in eo crimine lapsi fuerint,
- V. Ab omnibus casibus tempore Paschalis Quindenæ (etiam Nostra auctoritate ampliata) ut pœnitentes implere possint præceptum annuæ Confessionis vel Communionis; itemque diebus quibus fit Expositio 40 horarum et in eorum pervigilio, atque tempore Missionis, sive Exercitiorum Spiritualium, quæ perduratura sint saltem usque ad quintum diem, si Confessio audiatur a Parocho in ea parœcia, sive propria sive alterius, in qua tunc dictæ Functiones habentur.

#### VICARIIS FORANEIS

#### EORUMQUE DE MANDATO NOSTRO VICEM GERENTIBUS

- I. Absolvendi quoscumque pœnitentes ab omnibus casibus Nobis reservatis, exceptis casibus
  - 1<sup>o</sup> si pollutio fuerit ita notoria, ut Ecclesia fuerit publice reconcilianda,
  - 5<sup>o</sup> et
  - 6<sup>o</sup> si fœtus fuerit animatus:
- II. Concedendi Confessariis Vicariatus exercitium absolvendi quantum valent et ipsi in casibus non eventuris, sed reapse emergentibus:
- III. Dispensandi item ab impedimento, si adsit, petendi debitum casui 11<sup>o</sup> fortasse adnexo, et concedendi facultatem ab eo dispensandi etiam Confessariis sui Vicariatus.

## IV.

## MONITA

1. Ne quis ex Confessariis facultatum quibus instructus est prætergrediatur limites, neve periculum incurrat excommunicationis Papæ reservatæ, quæ lata est in eos qui a peccatis etiam Episcopo tantum reservatis præsumunt absolvere (*Decr. S. C. Episc. et Regul. approb. a Clem. VIII 9 Januar. 1601, juncta ejusdem moderatione 26 Novemb. 1602: apud Gury edit. Veron. 1851, Tract. de Censur. c. 2, a 1, § 3, punct. 2, n. 1638, subalt. 17*); hæc quæ de reservatione casuum decernenda judicavimus ediscere, atque alia, quæ de hac materia apud probatos auctores traduntur, frequenter investigare non omittat.

2. Si vero Confessarius pœnitentes nanciscatur, pro quibus ulterioribus facultatibus sit opus, ad Superiorem utique vel eos remittere oportebit, vel ab illo facultates ipsas deprecere. Istud tamen sæpe sæpius peragere Confessarium non pigeat, ne pœnitentes hujusmodi propriæ conscientiæ remedio diu careant; expertum est enim ægrius eos induci ad Superiorem per se adeundum. Verum summopere peroptamus, ut ad Nos ipsos Confessarii recursum habeant pro talium petitione facultatum sive scripto sive verbo; primo ut nobis innotescat quænam sit in Israel frequentior plaga et latior affligens; dein ut in difficilioribus casibus quisque, etiam doctus, non innitatur prudentiæ suæ et sine consilio nihil agat. Neque sit qui timeat ne frequentioribus sive scriptis, sive accessibus Nobis ingerat pœnam: *omnibus enim debitor sum; ego autem libentissime superimpendar ipse pro animabus* Nostræ curæ commissis.

3. Confessarius vero quotiescumque facultatibus antedictis uti voluerit, pœnitentem monere non omittat, ipsum peccati adeo gravis reum esse, ut ejus absolutio sit Superiori reservata, et nonnisi ex speciali facultate se posse eundem absolvere; ea enim ratione poterit ad acriorem contritionem pœnitentem excitare, et a relabendo cautum reddere.

4. Ne autem facultatum usus in destructionem potius, quam in ædificationem vergat, videat Confessarius ne illi facultati adhibendæ unice intentus cetera obliviscatur, quæ spectant dispositiones ad absolutionem sive recognoscendas sive procurandas in pœnitente; seduloque animadvertat non modo congruam gravitati criminum pro pœnitentis viribus atque salutarem injungendam esse satisfactionem, verum etiam sæpe alia occurrere necessario præscribenda, cujus generis sunt damnorum sive rei sive famæ, aut scandalorum, quæ pœnitens possit, reparatio; occasionis, si quæ proxima perseveret, remotio; odiorum depositio, atque hujusmodi alia.

5. Denique Confessarios universos monitos esse volumus omnia hæc peculiaria statuta quo ad Casuum Reservationem in nostra Diœcesi ex die prima futuri mensis Novembris anni currentis 1857 vim propriam sive obligationis, sive concessionis Auctoritate Nostra sortiri.

Ut autem hæc omnia et singula adamussim servantes, Venerabiles et Dilectissimi in Christo Fratres, fideles inveniamini dispensatores mysteriorum Dei, utque fructum copiosissimum feratis et fructus vester maneat, Nostram vobis Pastoralem Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Laudæ ex Episcopali Nostro Palatio, die 31 Augusti 1857.

✠ CAJETANUS, *Episcopus.*

# APPENDIX VI.

*Ad cap. XX, De convent. Cleri n. 10.*

I Vicari Foranei e gli altri appositamente incaricati a visitar le Chiese, oltre al fare le loro indagini ed ispezioni in conformità alle istruzioni già emanate in questa Diocesi, le estenderanno ancora sopra i seguenti oggetti, e riferiranno al Vescovo circa:

## I. *Le Persone.*

1. Se i Preti, che celebrano negli Oratorj de' villaggi, dopo il Vangelo della Messa facciano recitare gli Atti di Fede, ec., e richi-  
mino i principali capi della Dottrina Cristiana. *Cap. 2, n. 14.*

2. Se i Confessori mettano la cotta e la stola. *Cap. 10, n. 14.*

3. Se sia cessato il costume che i Predicatori al fine della Qua-  
resima accompagnino i questuanti, ec. *Cap. 5, n. 14.*

4. Quali laici siano addetti al servizio della Chiesa, cioè Orga-  
nisti, Sagrestani, Chierici o giovani che ne fan le veci, Levaman-  
tici, Campanari, ec., indicandone (almeno la prima volta) i nomi,  
l'età, la condizione, gli anni di servizio e da chi siano stipendiati,  
e sempre dando le informazioni circa la loro condotta ed attitu-  
dine e frequenza ai Sacramenti. *Cap. 15, n. 24 e 25.*

5. Se le Levatrici siano istruite (e perciò il Vicario le esami-  
ni colla debita circospezione) *Cap. 7, n. 3.* Si informi anche della loro  
condotta morale. *Ivi.*

6. Se sianvi in parrocchia dei disseminatori di eresie, e chi  
spara della religione, delle sue istituzioni, ec. *Cap. 1, n. 8 e 11.*

7. Se vi siano persone ascritte a società anticattoliche. *Ivi, n. 10.*

8. Se alcuno somministri altrui libri perversi o proibiti. *Ivi,*  
*n. 8 e 12.*

## II. *Le Chiese e gli Oratorj pubblici.*

1. Se le Chiese ed Oratorj siano riparati, e decenti nell'interno  
e nell'esterno e nelle adjacenze, e sgombri da piante, fabbriche, ec.  
*Cap. 15. n. 10, 11 e 28.*



2. Se la Chiesa parrocchiale sia consecrata. *Cap. 15, n. 15.*

3. Se gli Altari, e le pietre sacre siano integri e conformi al *Cap. 15, n. 16 e 17*, e il Battistero pulito, etc., come al *Cap. 7, n. 12.*

4. Se il Tabernacolo sia ornato e pulito internamente ed esternamente, e ricoperto col debito velo, ec. *Cap. 9, § 2, n. 2.*

5. Se il SS. Sacramento si conservi all'Altare maggiore. *Cap. 9, § 4, n. 1.*

6. Se siavi la tenda alla porta di fronte all'Altare del SS. Sacramento. *Ivi, n. 7.*

7. Se la chiave del Tabernacolo sia inargentata. *Ivi, n. 5.*

8. Se siansi eseguite le prescrizioni del *Cap. 15*, relative alle panche. *Ivi, n. 12 e 14.*

9. Se sianvi scale, arnesi inutili. *Cap. 15, n. 25.*

10. Se il Parroco tenga le chiavi della Chiesa ed altre necessarie. *Cap. 15, n. 26.*

11. Se le cassette per le limosine siano a due chiavi, ec. *Cap. 24, n. 24.*

12. Se nelle Chiese pubbliche di giuspatronato laicale sianvi cassette per le limosine. *Cap. 24, n. 26.*

13. Se il vaso dell'Olio degl'Infermi sia nella finestrella unito al Rituale, al Crocifisso, ed alla Cotta e Stola. *Cap. 11, n. 7.*

14. Se i Confessionali siano giusta le prescrizioni antiche, e giusta le recenti, e nel numero richiesto. *Cap. 10, n. 10, 11, 12 e 15.*

15. Se le Reliquie, i Reliquiari, il luogo in cui quelle sono riposte siano puliti, ornati, segnati coll'indicazione, e si conservino le Autentiche giusta le prescrizioni. *Cap. 4, n. 4 e 5.*

16. Se le Immagini e Statue siano divote, decorose, benedette, velate, ec. *Cap. 4, n. 10 al 16.*

17. Se i Voti presso le Immagini siano esposti coll'approvazione del Vescovo, e se nulla ei sia di sconveniente. *Cap. 4, n. 18.*

### III. *La Sagrestia.*

1. Quali e quante le biancherie, le pianete ed altri paramenti, vasi sacri. *Cap. 9, § 2.*

2. Se l'Ostensorio sia inargentato e dorato nell'interno colla lunetta. *Cap. 9, § 4, n. 5.*

5. Se siavi la veste talare colle maniche. *Cap. 9, § 2, n. 5.*

4. Se sianvi le vesti pei Chierichetti e pel Sagrista. *Cap. 9, § 2, n. 8.*

5. Se sia esposta la Tabella delle preghiere da premettersi alle Confessioni. *Cap. 10, n. 14.*

Se sia corretta nella Tabella delle orazioni prima e dopo la celebrazione della Messa la falsa Indulgenza di 5 mila anni, invece di 3 anni per l'Orazione *Obsecro Domine*. *Cap. 9, n. 14.*

6. Se siavi il lavello. *Ivi, n. 6.*

7. Se e quale sia il Tabernacolo da portarsi nella casa degli infermi per la Comunione. *Cap. 9, § 3, n. 16, e la borsa per la Pisside n. 17.*

8. Quali siano le Ostie e le Particole, e se il Cribro delle Particole ci sia. *Cap. 9, § 1.*

9. Se sia esposta la Tabella degli Oneri, ec. *Cap. 23, n. 11.*

10. Se siavi la Vacchetta generale quotidiana delle Messe. *C. 25, n. 4.*

11. Se siavi la Tabella per l'ordine delle Messe. *C. 9, § 2, n. 22.*

#### IV. L'Archivio.

1. Se, e quale, e dove sia l'Archivio. *Cap. 14, n. 5.*

2. Se sia patentemente esposto il Decreto per la custodia dei Documenti. *Cap. 23, n. 4.*

3. Come si tengano i libri parrocc., ed i documenti. *C. 18, n. 20.*

4. » » il registro delle Decime. *Cap. 24, n. 21.*

5. » » il giornale della Fabbriceria. *C. 24, n. 23.*

6. » » il libro degli Emolumenti per le Funzioni.  
*Cap. 24, n. 23,*

7. » » le singole vacchette dei Legati. *C. 25, n. 12.*

8. Se si tenga l'Indice dei libri proibiti. *Cap. 18, n. 21.*

#### V. Le Funzioni Sacre.

1. In quali e quante Chiese si faccia la Dottrina Cristiana. *Cap. 2, n. 14.*

2. Se facciasi la Dottrina Cristiana ai Famigli, ec., ove la Parrocchia ecceda le 5 mila anime. *Cap. 18, n. 12.*

3. Se non siano ancora scorsi 10 anni dagli ultimi Esercizj Spirituali dati alla Parrocchia. *Cap. 5, n. 6.*

### VI. *Il Cimitero.*

1. Se il Cimitero sia decente ed abbia la Croce alta in mezzo; se siano sani i muri, se sgombri da piante ed arbusti, o vegetali arrampicantisi al muro. *Cap. 13, n. 29.*

2. Se ci sia il luogo apposito per gli infedeli ed i bambini morti senza battesimo. *Ivi.*

### VII. *Altri Oggetti.*

1. Quali pie Confraternite esistano, con quali regole, oratorj, pratiche: i conti di amministrazione, in quale stato siano. *Cap. 25, n. 3 e 13.*

2. Risultanze emergenti del confronto dei rilievi fatti nella antecedente visita collo stato attuale degli oggetti suindicati.

## MODO DI FORMARE LO STATO DEL CLERO

Ogni Vicario Foraneo nell'Aprile di ciascun anno esigerà dai Parrochi la relazione dello Stato dei singoli Sacerdoti della loro parrocchia (*Cap. 16, n. ult.*) ed in pari tempo ogni Vicario Foraneo formerà un simile Stato dei Parrochi e di ogni altro Sacerdote del suo vicariato, e lo spedirà entro lo stesso mese a Monsignor Vescovo (*Cap. 19, n. 11*). Tale Stato deve contenere le seguenti notizie:

1. Cognome, nome di ciascun Sacerdote, domicilio, impiego, età, anni di servizio:

2. Doti intellettuali:

3. Qualità particolari:

4. Condotta morale e disciplinare, cioè:

— Se si applichi a studj e quali,

— Se non sia ozioso,

— Se non frequenti osterie, giuochi, caccie, case sospette, persone d'altro sesso, oppure secolari ed Ecclesiastici di poco buon nome,

— Se non sparga dissensioni, ec.,

— Se vesta da Ecclesiastico con decenza,

- Se attenda ad ascoltar le Confessioni, alla Predicazione prescritta o volontaria, e con quale zelo e spirito,
- Se assista gli infermi,
- Se intervenga alle Funzioni della parrocchia,
- Se faccia la Dottrina Cristiana alla parrocchia od altrove,
- Se attenda a negozj secolareschi,
- Se si dia a brighe di politica,
- Se goda buon nome, e quando nò, se per sua imprudenza o colpa,
- Se mostri rispetto agli altri Colleghi, e sommissione ai Superiori ecclesiastici in parole ed in fatti,
- Se sia ben provveduto di beni patrimoniali od ecclesiastici, e se non commetta spilorcherie, o faccia spese superflue, o sia aggravato di debiti,
- Se, e da quanto tempo abbia fatto gli Esercizj Spirituali.

5. Persone con cui convive, cioè se uomo o donna di servizio, — età, morale condotta, ec., di esse: = se parenti, — età, morale condotta, professione di questi, ec.

*NB.* A tale Stato deve essere unito l'*Attestato di Confessione* scritto di pugno del Confessore di ciascun Sacerdote e Parroco. Il Vicario poi dichiarerà se non ci siano eccezioni da farsi sui medesimi attestati, e non ometterà di trasmettere egli pure al Vescovo il proprio *Attestato di Confessione*. *Cap. 16, n. 2.*



## APPENDIX VII.

*Ad cap. XXV. De implem. pior. Onerum. n. 2.*

---

### NORME DA TENERSI

1. Ogni Parroco nel mese di Gennajo di ogni anno riferirà alla Prefettura dei Beni Ecclesiastici, ovvero, fino a tanto che questa non sia istituita, alla Curia Vescovile se siano, o non siano stati adempiti nell'anno antecedente gli Oneri di que' Beneficj, Legati, Cappellanic, che sono di sua amministrazione, o debbono eseguirsi nelle Chiese della sua parrocchia, e delle Cause Pie da lui amministrate.

2. Quando tutti siano stati adempiti si dovrà riferirlo impreteribilmente, almeno con un cenno generale.

3. Quelli che sono rimasti totalmente inadempiti, bisognerà indicarli distintamente accennando il titolo e la qualità e quantità dell'Onere, e della limosina assegnata. *Categoria A.*

4. Altrettanto si farà di quelli che vengono adempiti soltanto in parte. *Categoria B.*

5. Se gli Oneri da prima non eseguiti si adempiono nel tratto successivo, o si estinguono con ottenuta dispensa, dovrà parimenti tutto ciò essere riferito. *Categoria C.*

6. Quando gli Oneri rimasti inadempiti in un'anno non sortissero verun adempimento neppure nel tratto successivo, ogni anno se ne darà relazione, finchè sia estinto l'obbligo. *Categoria D.*

7. Per la notificazione di quanto è prescritto sotto i numeri 3, 4, 5 e 6 servirà di modello la seguente Tabella, che si dividerà in Categorie, o sarà surrogata da più Tabelle secondo le diverse Categorie quando il caso lo richiedesse. Ogni Tabella porterà la data, e la firma del Parroco.

# Parrocchia di Somaglia Vic.

## Prospetto degli Oneri de' Beneficii, delle Cappellanie, dei Legati di Mess.

Categoria	N. progr.	Denominazione e Titolo del Beneficio, ec.	Chiesa e Lnogo a cui è addetto	Amministratore	Attuale investito
A	<i>(Da scriversi a penna) Rimasero totalmente</i>				
	1	Beneficio S. Andrea Ap.	Parrocchiale.	L' investito.	Sac. Luigi Peri.
	2	Legato Ferrari.	Oratorio di S. Antonio.	Ospit. Comunale.	—
B	<i>(Da scriversi a penna) Venne adempito</i>				
	1	Cappellania Martani.	Oratorio di S. Rocco.	Fabbriceria.	Nessuno.
C	<i>(Da scriversi a penna) Si adempirono durante l'anno 1857</i>				
	1	Legato Maranesi.	Parrocchiale.	Istituto Elemos.	Nessuno.
	2	Causa Pia Rosa.	Parrocchin suddetta.	Ospitale.	—
D	<i>(Da scriversi a penna) Trovansi tuttora sospesi nel</i>				
	1	Beneficio di S. Antonio.	Oratorio di S. Antonio.	L' investito.	Sacerdote Cossa.
	2	Legato Ferrari.	Parrocchiale.	Parroco.	Nessuno.

NB. Ove la notificazione fosse molto estesa si adoperi un foglio per ciascuna Categoria.

# icato VI di Cusabusterlengo

delle Pie Cause, che rimasero inadempiti relativamente all'anno 18

Quere annuo di Messe	od altro	In qual parte sia rimasto inadempito	Somma corrispondente all'Onero intero	Cagioni dell'inadempimento	Osservazioni
<i>inadempiti durante lo scorso anno 1857 i seguenti</i>					
362	—	Per intero.	A. L. 488, 70.	Malattia dell'invest.	
—	2 Annivers.	Per intero.	A. L. 40 cadauno.	Ignote.	
<i>soltanto in parte per il 1857 il seguente</i>					
64	—	Per Messe 40.	A. L. 320, 00.	Inesigenza del res- dido.	Si sono esatte sol- tanto A. L. 200.
<i>i seguenti rimasti sospesi negli anni antecedenti</i>					
—	1 Annivers.	—	A. L. 20, 00.	Povertà dell'Istituto.	
—	2 Doti.	Una Dote.	A. L. 50 cadauna.	L'altra Dote non fu richiesta.	Restano nella Cassa dello Spedale A. L. 50.
<i>loro adempimento per gli anni trascorsi i seguenti</i>					
100	—	Intieramente per l'anno 1857.	A. L. 135, 00.	Causa intentata col debitore.	Nelle A. L. 135 è compresa la ma- nutenzione.
200	3 Annivers.	Intieramente per due annualità delle Messe.	L'annualità delle Messe è di A. L. 275.	Mancanza di Sacer- doti in Parroc- chia.	Il sottoscritto spedi- sce le due annua- lità alla Curia.

Giorno 15 Gennaio 1858

N. N. Parroco.

## APPENDIX VIII.

*Ad cap. ult. De synod. constit. observatione n. 2.*

---

*Editti Sinodali da pubblicarsi ogni anno da ciascun Parroco al popolo nei giorni assegnati, oltre ad altre esortazioni, che secondo lo zelo, e la prudenza propria, stimerà meglio di fare secondo le Costituzioni del Sinodo Ottavo.*

*Nella Domenica fra l'Ottava dell'Epifania (Cap. 11, n. 14.)*

Si annunci l'interdetto issolato a' quelli che impediscono al Parroco di visitar un malato della loro famiglia, sicchè ne muoja senza Sacramenti.

(Cap. 26, n. 16, 17). Si annunci, almeno nelle popolose parrocchie, col Rituale Romano quali siano gli esclusi dalla Sepoltura Ecclesiastica, quali le pene a chi li seppellisce, quale il peccato di chi presta i suffragi o associa il funerale, ove non lo scusi la buona fede.

*Nella Domenica precedente la Festa di S. Bassiano (Cap. 5.)*

Esorti alla santificazione delle Feste. Inveisca contro i profanatori di esse e della Festa del Protettore, esortando alla frequenza de' SS. Sacramenti per l'acquisto anche della Indulgenza concessa per tale Solennità. Annunci altresì la riserva del peccato di chi lavora pubblicamente in giorno di festa.

*Nella Domenica di Sessagesima (Cap. 6. n. 4 e 13.)*

Inveisca nella Messa solenne contro i violatori dell'astinenza da carni o latticinj, e contro i bottegai, osti, ec., che apprestano i cibi proibiti; mostrando quanto sia cosa obbrobriosa che un Cristiano non mantenga una tale astinenza per golosità o per umano rispetto. — Si accenni anche la riserva del peccato.

*Nella Domenica II di Quaresima (Cap. 1, n. 13, 14 e 15.)*

Faccia ammonizioni sui libri proibiti dalla Santa Chiesa, e sulle pene che si incorrono da chi li legge o li tiene (e con prudenza,



giusta il caso, anche sullo stampare o vendere libri proibiti o licenziosi), e sull'obbligo di portarli al Superiore Ecclesiastico. — Similmente sulle Bibbie volgari senza annotazioni, e non approvate dal Sommo Pontefice.

*Nella Domenica III di Quaresima (Cap. 10, n. penult.)*

Si pubblichino in italiano i Casi Riservati; ma il 1.º si pubblichi con queste precise parole = *Chi violasse una Chiesa con eriminoose e notorie azioni* — il 6.º così = *Chi tenta di far morire un bambino concepito*; — l'8.º, 9.º, 10.º, 11.º e 12.º tutti insieme si enuncino con questa espressione: = *Vi sono altri peccati riservati che S. Paolo vuole che neppur si nominino fra i Cristiani, e sono gli orrendi peccati contro l'onestà.* — Si accenni che i Confessori semplici non possono assolvere da tali peccati.

*Nella Domenica IV di Quaresima (Cap. 9, § 5, n. 22.)*

Pubblichi nella Messa il precetto della santa Comunione Pasquale da riceversi nella propria parrocchia, a meno che taluno fosse assente per qualche ragionevole motivo. Si annuncii anche il peccato che commettono, e le pene che incorrono i trasgressori.

*Nella Domenica di Passione (Cap. eodem.)*

Si rinnovi la suddetta pubblicazione alla Dottrina Cristiana.

*Nella Domenica III di Aprile (Cap. 2, n. 3, 4 e 5.)*

Si pubblichino le Indulgenze della Dottrina Cristiana come nell'Appendice III, e si esortino tutti a venirvi, e i Genitori e Superiori anche a mandarvi i figli e i dipendenti, mostrandone l'obbligo; ed a farsi in essa Operajo, chi ne è abile (*App. III pag. 258.*)

*Nella Domenica IV di Aprile (Cap. 2, etc.)*

Si rinnovi la stessa pubblicazione ed esortazione alla Messa parrocchiale.

*Nella Domenica II dopo Pasqua (Cap. 9, § 5, n. 26.)*

Si annuncii, che chi non fece la santa Comunione Pasquale nella propria parrocchia per assenza, entro 15 giorni da che è tor-

nato in parrocchia deve farla di nuovo, oppure portare attestato di averla fatta nel luogo in cui si trovava. — Si esortino altresì i trasgressori del Precetto Pasquale ad eseguirlo, avvisandoli che altrimenti verranno denunciati al Vescovo.

*Nella Domenica III dopo Pasqua (Cap. 9, etc.)*

Si rinnova la stessa esortazione ai trasgressori del Precetto Pasquale.

*Nella Domenica IV dopo Pasqua (Cap. cod.)*

Si rinnova per la terza volta la stessa intimazione.

*Nella Domenica della SS. Trinità (Cap. 13, n. 13.)*

Si pubblicii che non basta alle donne per entrare in Chiesa il portare il Cappellino senza velo, cioè un panno (lino, lana, seta, ec.), sottile o nò, ma denso; e solo si tollera la retina (detta *velo* per abuso), la quale almeno dovrebbe essere fitta, e coprire per modestia il volto.

*Nella Domenica XII o XIII dopo Pentecoste (Cap. 4, § 10 e 19).*

Si esortino i fedeli a non tener imagini sacre sconcie, rozze od erronee, ma bensì imagini sacre, decorose e devote. — Almeno in città e nei paesi popolosi inveiscano i Parrochi contro quelli che tengono imagini profane, invereconde od empie.

*Nella Domenica II o III di Novembre (Cap. 3, § 27).*

Si esortino i fedeli ad ascoltare le Prediche ogni volta che si fanno, ed i padroni a mandarvi i servi.

*Nella Domenica ultima dopo Pentecoste (Cap. 7, n. 2, 4, 9).*

Si iusegni con chiarezza e brevità la maniera di amministrare il Battesimo in caso di necessità. — Si faccia avvertire a tali persone ed alle Ostetrici, che devon procurare di aver presenti per testimonj del Battesimo la madre ed altre persone, se si possono avere senza offesa del pudore. — Si esortino i Genitori a scegliere Padrini e Madrine probi e virtuosi.

---

# REGOLE

## DA TENERSI IN CITTÀ ED IN DIOCESI

PER LA

### **ESPOSIZIONE DEL SS. SACRAMENTO**

NELL'ORAZIONE DELLE QUARANT'ORE

*(Dal Sinodo di Novara del Cardinale Morozzo 1826)*

---

Abbiamo divisato di proporre un metodo perchè tale funzione riesca più veneranda, più augusta e più salutare. Nulla vi ha che maggiormente confacciasi ai nostri fini della ben nota Istruzione ordinata dal Pontefice CLEMENTE XI, che fu di bel nuovo pubblicata per comando di CLEMENTE XII, il dì 1.<sup>o</sup> Settembre 1736; ma siccome non tutte le cose che ivi dispongonsi convenir possono alle nostre Chiese, abbiamo voluto, seguendone però per quanto ci fu possibile le tracce, adattarla alle medesime, affinchè d'ora in poi per maggior gloria del Sagramentato Signore, e per più sicura spirituale utilità dei popoli sia il sistema, che qui sotto proponiamo, in ogni parrocchia dove si praticherà tale Orazione, esattamente seguito.

I. Nella Chiesa in cui si avrà a fare l'esposizione del Santissimo Sacramento per l'Orazione delle Quarant'Ore si darà colle campane nel giorno precedente il segno festivo come nelle solennità; ed alla porta della medesima si porrà la tavoletta indicante l'esposizione ornata di festoni, i quali dovranno essere posti anche a capo delle contrade, che mettono alla Chiesa.

II. Il SS. Sacramento si esporrà sempre all'altare maggiore, in cui o si copriranno, o si leveranno le statue, ed immagini che vi si sogliono collocare; siccome parimenti non si possono esporre le reliquie, od attaccare anche ai lati dell'altare quadri che rappresentino le Anime del Purgatorio. Le vicine pareti dell'altare, e quelle tutte della Chiesa siano ornate per quanto sarà possibile, avvertendo di escludere ogni cosa che senta del profano.

III. Nel mezzo dell'altare dell'esposizione sovrapposto al Tabernacolo vi sarà un Trono con ogni decenza abbellito, e sopra la base di esso pongasi un corporale per collocarvi l'ostensorio, o raggio, in cui contiensi la sacratissima Ostia; nè vi sarà davanti cosa alcuna che impedisca ai fedeli adoratori la vista.

IV. Quantunque sia a desiderarsi, che nelle Chiese più facoltose in gran copia i lumi continuamente ardano accanto al SS. Sacramento esposto, non saranno però nelle Chiese povere, o meno comode in numero inferiore a quattordici, siccome sta nel Sinodo stabilito. Nelle Chiese poi, in cui più lampane sogliono accendersi avanti l'altare, si ingiunge la pratica di sì lodevole usanza.

V. I soli Sacerdoti, o Chierici vestiti di cotta, o questi mancando, i Confratelli vestiti del loro abito potranno accostarsi all'altare per aggiustare i lumi, o fare altra cosa che occorra; avvertendo nello avvicinarvisi, e nello allontanarvisi di genuflettere con entrambe le ginocchia divotamente.

VI. Due Sacerdoti, o Chierici vestiti di cotta, e col loro abito corale, se appartengono a qualche Capitolo, genuflessi in Presbiterio ad un banco coperto con tappeto siano in ogni ora di continuo all'adorazione del SS. Sacramento. Assistano allo stesso modo almeno due Confratelli, ma in un banco preparato fuori del Presbiterio. Resta quindi proibito a chiunque dei laici, e sotto qualsivoglia pretesto di entrare, e fermarsi ad orare nel medesimo Presbiterio.

VII. Perchè poi non manchino gli adoratori al SS. Sacramento, si farà a ciascuno degli Ecclesiastici, o dei Confratelli l'assegnamento dell'ora che innanzi al medesimo avranno a passare in orazione, affiggendone anche in sacrestia il catalogo; e si darà al terminar di ogni ora prefissa il segno colla campana.

VIII. All'altare dove stà esposto il SS. Sacramento non si celebri altra Messa fuorchè la solenne per l'esposizione o riposizione, che verrà pure annunziata col suono festivo delle campane. Nella Cattedrale, e nelle Collegiate si canterà ne' giorni intermedj la Messa Conventuale in un Oratorio separato dalla Chiesa, oppure ad un altare remoto da quello, in cui trovasi l'esposizione. In tali giorni si canterà la Messa Conventuale coi Ministri parati, e non altrimenti, anche nelle Chiese dei Regolari.

IX. Non si celebrino Messe di *Requie* neppure *in die obitus* nel tempo che durerà l'esposizione, ed occorrendo qualche funerale, si compia segretamente, e senza alcuna solennità, differendo i pubblici suffragi ad altro giorno. Occorrendo anche di annunziare colle campane il passaggio all'altra vita di taluno de' fedeli, se ne dia un solo, breve, e semplice segno.

X. Ne' giorni, in cui è permesso dalle Rubriche di dire le Messe votive private, essendo grave causa quella della esposizione del SS. Sacramento, anche perchè si deve in tal circostanza specialmente pregare pei bisogni di santa Chiesa, pel Sommo Pontefice, pei Sovrani, e pel bene dello Stato, si potranno assai convenientemente celebrare del SS. Sacramento, o messo l'Inno Angelico, ed il Simbolo. Negli altri giorni poi, eccettuati quelli, in cui si fa l'Ufficio di *prima*, o *seconda classe*, seguita l'esposizione del SS. Sacramento, se ne farà la Commemorazione dopo tutte le altre orazioni prescritte. In ciascuna delle Messe private non si suonerà il campanello al *Sanctus*, ed all'elevazione; si permette bensì di dare un leggier segno con quello della sacrestia all'uscirne di ciascun Sacerdote celebrante.

XI. Non si farà l'Orazione delle Quarant'Ore se non precederà (*per quanto sia possibile*) la Messa solenne votiva del SS. Sacramento. Questa si debbe celebrare col *Gloria*, con una sola Orazione, fuorchè non occorresse qualche Domenica, o feria, di cui si avesse a fare la commemorazione, col *Credo*, e colla Prefazione de *Nativitate*. Che se si incontrino una festa di rito doppio di *prima*, o *seconda classe*; una Domenica purc di *prima*, o *seconda classe*; le ferie IV delle ceneri, o della settimana santa; le vigilie di Natale, o di Pentecoste colle loro ottave seguenti; siccome pure le ottave di Pasqua, e quelle altre privilegiate, che escludono i Santi di *prima*, o *seconda classe* non solamente traslati, ma ancora correnti, allora si deve cantare la Messa secondo che viene dal Calendario prescritta con aggiungere l'Orazione del SS. Sacramento da terminarsi *sub unica conclusione* con quella del giorno, e colla Prefazione suddetta de *Nativitate*, qualora non vi fosse la propria assegnata.

XII. Il colore dei paramenti della Messa deve essere conforme all'ufficio del giorno, quando in esso non si possa celebrare la votiva solenne del Sacramento: il pallio però dell'altare, il velo umerale, ed il baldacchino saranno sempre di color bianco. Lo stesso

colore usato nella Messa si adoprerà nei paramenti della Processione, quando questa si faccia immediatamente dopo la medesima da quegli che l'ha celebrata. Che se i Ministri si allontanassero dall'altare, o la Processione, per qualche degna ragione, non si facesse dal Celebrante, ed i paramenti si vestissero nella sacrestia, allora devono essere di color bianco, che è il colore proprio a questo mistero. Del resto poi si procede nella Messa dopo la consecrazione come sta prescritto nelle Messe che si celebrano avanti al SS. Sacramento, avvertendo però che la sacra Ostia nell'ostensorio non si deve collocare che dopo la consumazione del SS. Sangue: l'ostensorio poi chiuso dal Diacono si collocherà in mezzo al corporale, su cui dovrà rimanere sino al tempo della Processione.

XIII. I Chierici che sostengono le torcie per l'elevazione del Sacramento nella Messa rimarranno in Presbiterio, e si associeranno al Sacerdote quando si porterà per la Processione sotto al baldacchino. Intanto al fine della Messa si distribuiranno le candele, i turiferarj verranno al loro posto, e tutto si ordinerà per la Processione.

XIV. Terminata adunque la Messa, e fattesi le debite genuflessioni, i Ministri vanno al banco per essi preparato *in cornu Epistolæ*, ed ivi si depone dai medesimi il manipolo: al Celebrante si leverà la pianeta, e si porrà il piviale. Esso ministrerà nello stesso luogo nei due turiboli l'incenso senza benedirlo, ed insieme al Diacono, e Suddiacono si porterà nel mezzo dell'altare, dove fatta la genuflessione *utroque genu in plano terræ*, si fermerà sull'infimo gradino, oppure sul gradino superiore secondo l'uso delle Diocesi, lo che anche è conforme al Cerimoniale de' Vescovi, ed incenserà subito il SS. Sacramento.

NB. Quando l'Esposizione si fa dopo mezzo giorno, in luogo della Messa si premetteranno i Vespèri solenni; indi il Sacerdote coi due Assistenti parati, estrattosi il Santissimo Sacramento dalla Custodia, pone l'incenso nei due turiboli senza benedirlo, ed immediatamente lo incensa.

XV. Si intuona l'Inno *Pange lingua*, e si avvia la Processione secondo il consueto. L'ostensorio sarà posto dal Diacono, stando in piedi, tra le mani del Sacerdote genuflesso, e giunto sotto al baldacchino sosterrà il lembo del piviale unitamente al Suddiacono, e risponderanno entrambi ai Salmi che anderà sotto voce recitando

il Celebrante. Se vi saranno nella Chiesa in cui si espone il Venerabile instituite Confraternite, o siano vestite di abito proprio, o no, anderanno al loro luogo secondo il costume per accompagnarlo. La Processione si farà dentro la Chiesa, od al più per la piazza avanti alla medesima, quando per l'angustia di quella la necessità il richieda.

XVI. Finita la Processione, e collocatisi tutti al loro luogo tenendo accese le candeie, il Celebrante giunto all'infimo gradino dell'altare si arresta, e stando in piedi consegna l'ostensorio al Diacono genuflesso *utroque genu*; questi lo porta immediatamente al Trono mediante uno scabello, e senza alcun inchino sceso sulla predella, dove genuflette *unico genu*, ritorna accanto al Celebrante. Se vi fosse un altro Sacerdote destinato per collocare nel Trono il SS. Sacramento, allora il Diacono lo ponga sull'altare, e fatta ivi semplice genuflessione ritorna al suo luogo.

XVII. Posto in Trono l'ostensorio si intuona immantinenti il *Tantum ergo*, ed alla strofa *Genitori, Genitrici*, od anche prima, il Celebrante alzatosi coi Ministri porrà incenso nel turibolo, ed incenserà il SS. Sacramento: al finirsi della medesima, ed ommesso il *✠. Panem de caelo* si dà subito principio al canto delle Litanie dei Santi. Dopo di esse il Celebrante intuona *Pater noster*, — *Et ne nos etc.* — *✠. Ostende nobis misericordiam tuam.* — *℟. Et salutare tuum da nobis.* — *✠. Domine exaudi orationem etc.* (Il *Dominus vobiscum* secondo più decreti della S. C. dei Riti si omette). — Indi il Sacerdote si alza e, detto *Oremus*, recita le Orazioni, che devono essere da prima quella del Sacramento, in seguito quella del Patrono, di poi per il Papa, *Deus omnium*; per il Sovrano (*Pro rege*), *Quaesumus omnipotens*; per la remiss. dei peccati, *Exaudi quaesumus Domine supplicum*; per qualunque tribolazione, *Ne despicias*; per qualunque necessità, *Deus refugium nostrum*; — cui si potranno aggiungere altre secondo la necessità o la divozione, conchiudendo sempre coll'Orazione per i vivi ed i defunti, *Omnipotens sempiternae*.

XVIII. Rispostosi dal Coro *Amen*, e quando ci fosse il Sermone, dopo di esso il Celebrante genuflesso dovrà trattenersi con tutti in breve orazione in silenzio. Fatta quindi la genuflessione *in plano terrae utroque genu*, ognuno ritorna ordinatamente a capo scoperto nella sacrestia.

XIX. Se per mancanza di soggetti, o per qualche altra cagione non si potesse fare la Processione, il che però appena si può supporre, paratisi al banco dopo la Messa i Ministri, portansi direttamente all'infimo gradino dell'altare, dove postosi dal Celebrante l'incenso nel turibolo, si incensa il SS. Sacramento. Quindi dal Diacono, o da altro Sacerdote a ciò destinato si colloca sotto al Trono l'ostensorio, e restituitosi questi al suo luogo si intuona il *Pange lingua*; alla strofa *Genitori, Genitoque* si amministra nuovamente l'incenso, e come prima si incensa l'Augustissimo Sacramento: il resto si eseguisce come sopra. Ne' luoghi però dove sono Confraternite vestite con abito particolare ben possono alcuni membri eletti dal Parroco nel caso di necessità fare l'ufficio dei Chierici. Che se saranno le sacrestie provvedute di abiti pei giovani che si addestrano al servizio della Chiesa, come sta ordinato in questo Sinodo, non si sentirà la mancanza di chi assista alla funzione secondo che il bisogno richiede. Qui poi cade in acconcio di avvertire, che durante l'Orazione delle Quarant' Ore non si ammettano tali giovani, o taluno dei Confratelli a servire le Messe, ad assistere alla sacrestia, o ad operare alcune cose per la Chiesa se non sono vestiti rispettivamente del suddetto abito con la cotta, o colla consueta divisa.

XX. Se si chiuderà tale Orazione alla mattina, si premetta ad ora conveniente la Messa solenne *de SS. Sacramento*, se il Rito lo permette, come sopra si è detto per l'esposizione ritenendo i paramenti usati nella S. Messa; ma se si termina nel pomeriggio, o dopo qualche intervallo, oppure da altri Ministri, questi, ornati dei sacri paramenti di color bianco, si porteranno dalla sacrestia a capo scoperto ai piedi dell'altare, e fattasi *utroque genu* la riverenza, si porrà l'incenso nel turibolo, e si incenserà il SS. Sacramento. Si intuoneranno poscia dai cantori le Litanie come nel primo giorno; ed al *ψ. Peccatores* si distribuiscono le candele, ovvero si accendano quando già tengansi tra le mani. Intanto proseguansi le Litanie, le quali si finiranno col *Kyrie eleison*.

XXI. Dopo di esse dal Celebrante nuovamente si amministra l'incenso, e ricevuto il turibolo si incensa il SS. Sacramento. Di poi il Diacono, od un altro Sacerdote, come si è detto, colle dovute genuflessioni *unico genu* sulla predella, toglie dal Trono



l'ostensorio, e depostolo sul corporale, ritorna al suo luogo. Si faccia la Processione come nel primo giorno, e si pratichi tutto che per essa già si è superiormente notato.

XXII. Ritornata la Processione, e depostosi dal Diacono l'ostensorio sul corporale, si intuona il *Tantum ergo*, e dopo avere posto il Celebrante l'incenso nel turibolo, incensa il SS. Sacramento come già si è notato. Dettosi poi il *ψ. Panem de cælo præstitisti eis. Alleluja* (1), il Celebrante recita le Orazioni sopra notate.

XXIII. Preso poscia il velo umerale ascende all'altare per benedire il popolo *more solito*. Si ripone dal Diacono, o da un altro Sacerdote nel Ciborio la sacra Ostia, e con ordine si fa ritorno alla sacrestia, così terminandosi la divotissima funzione.

XXIV. Quando per degne ragioni si dovesse finire senza la Processione, si userà il modo già indicato per questo caso nel giorno dell'esposizione, eccetto che l'Inno *Pange lingua* si deve cantare dopo le Litanie come sopra (anteponendo però a detto Inno l'incensazione), e dare al solito la benedizione.

XXV. Nei giorni intermedj, l'esposizione si farà la mattina dopo il segno dell'*Ave Maria* dal Sacerdote in piviale con Assistenti colla debita incensazione, e breve Orazione in silenzio, e durerà sino alla sera come nel primo. Si avverta però che sino all'ultimo giorno non si deve dare col SS. Sacramento la benedizione, ma chiamato il popolo col suono delle campane, il Sacerdote (in piviale, e coll'accompagnamento degli Assistenti, ecc.) incensato il Santissimo, canterà col popolo l'Inno *Pange lingua* col proprio versetto ed orazioni come sopra. Di poi il Santissimo si riporrà nel Tabernacolo.

XXVI. Annunzino i Parrochi nella festa precedente l'Orazione delle Quarant' Ore affinchè non manchino i fedeli in ciascun giorno di accostarsi ad adorare Gesù Sacramentato, e ad implorare le sue grazie, instruendoli anche delle Indulgenze, di cui si possono arricchire, siccome nel seguente elenco troveranno accennato.

---

(1) Giusta il Decreto della Congr. de' S. R. (25 Jan. 1700) nella Orazione delle 40 Ore si aggiunge l'*Alleluja* al *ψ. Panem de cælo, etc.*, eccettuato il tempo di Quaresima, di Avvento e delle Vigilie.

## INDULGENZE PER LE QUARANT'ORE

(Dal Sinodo suddetto)

I. Indulgenza Plenaria a tutti i fedeli, che confessati e comunicati visiteranno il SS. Sacramento nelle Chiese dove sta esposto per l'Orazione delle Quarant'Ore, dimorandovi per quello spazio di tempo, che loro sarà comodo, in divota preghiera; e visitandolo con fermo proposito di confessarsi, potranno acquistare l'Indulgenza di sette anni, ed altrettante quarantene: quali Indulgenze sono applicabili alle anime del Purgatorio, a pro delle quali è privilegiato eziandio l'altare in cui sta per la detta Orazione esposto Gesù' Sacramentato.

II. Indulgenza Plenaria a tutti i fedeli, che confessati e comunicati visiteranno il SS. Sacramento esposto per tre giorni in una, o ciascheduna delle settimane di Settuagesima, Sessagesima e Quinquagesima fino al giorno delle Ceneri esclusivamente, ovvero esposto nel solo Giovedì di Sessagesima.

III. Indulgenza di cento giorni, con facoltà di applicarla ai fedeli defunti, a chi ogni volta che sentirà il segno delle campane per la Benedizione che si dà col SS. Sacramento, o per l'Orazione delle Quarant'Ore, o per l'esposizione del medesimo, o per qualunque altro simile motivo, adorando Gesù' Sacramentato reciterà con cuore contrito la giaculatoria = *Sia lodato e ringraziato ogni momento il Santissimo e Divinissimo Sacramento.*

FINE.

# INDEX

---

	<i>Monitum universo Clero Civitatis et Diœcesis . . . . .</i>	Pag. v
	<i>Indictio Synodi . . . . .</i>	IX
	<i>Ministri Synodales quorum facultates cum Synodi celebratione exspirarunt . . . . .</i>	XVII
	<i>Ministri Synodales quorum facultates ex Synodi celebratione robur habere cœperunt . . . . .</i>	XXI
CAPUT	I. <i>De Fide Catholica . . . . .</i>	4
”	II. <i>De Doctrina Christiana . . . . .</i>	10
”	III. <i>De Prædicatione verbi Dei . . . . .</i>	17
”	IV. <i>De Sacris Reliquiis et Imaginibus . . . . .</i>	26
”	V. <i>De Festorum dierum observatione . . . . .</i>	30
”	VI. <i>De Jejuio et Abstinencia . . . . .</i>	35
”	VII. <i>De Sacramento Baptismi . . . . .</i>	42
”	VIII. <i>De Sacramento Confirmationis . . . . .</i>	47
”	IX. <i>De Sanctissimo Eucharistiæ Sacra- mento . . . . .</i>	51
	§ 1. <i>De Sacramenti Eucharistiæ confectione . . . . .</i>	ibi
	§ 2. <i>De Sacrificio Missæ . . . . .</i>	53
	§ 3. <i>De ministranda fidelibus SS. Eucharistia . . . . .</i>	59
	§ 4. <i>De asservatione SS. Eucharistiæ . . . . .</i>	64
	§ 5. <i>De expositione et adoratione SS. Eucharistiæ . . . . .</i>	66

CAPUT	X. <i>De Sacramento Pœnitentiæ . . .</i>	Pag. 70
	<i>Casus Nobis Reservati, dispositi secundum ordinem præceptorum</i>	
	<i>Decalogi . . . . .</i>	82
"	XI. <i>De Extremæ Uctionis Sacramento . . .</i>	84
"	XII. <i>De Sacramento Ordinis . . . . .</i>	89
"	XIII. <i>De Sacramento Matrimonii . . . . .</i>	95
"	XIV. <i>De Indulgentiis . . . . .</i>	99
"	XV. <i>De Sacris Ædibus, Altaribus et</i> <i>Cœmeteriis eorumque cultu et</i> <i>ornatu . . . . .</i>	405
"	XVI. <i>De vita et honestate Clericorum . . .</i>	410
"	XVII. <i>De Capitulo Cathedralis . . . . .</i>	425
"	XVIII. <i>De Parochis . . . . .</i>	452
"	XIX. <i>De Vicariis Foraneis . . . . .</i>	447
"	XX. <i>De Congregationibus Cleri. . . . .</i>	451
"	XXI. <i>De Seminario Clericorum . . . . .</i>	455
"	XXII. <i>De Regularibus et Sanctimonialibus. . .</i>	462
"	XXIII. <i>De piis laicorum Sodalitatibus . . .</i>	467
"	XXIV. <i>De Bonis ecclesiasticis eorumque</i> <i>administratione . . . . .</i>	472
"	XXV. <i>De implemento piorum Onerum . . .</i>	479
"	XXVI. <i>De Funeribus et Exequiis. . . . .</i>	484
"	XXVII. <i>De Synodali Constitutionum ob-</i> <i>servatione . . . . .</i>	490
ALLOCUZIONE	<i>di Monsignor Vescovo Illustrissimo e</i> <i>Reverendissimo Gaetano Conte</i> <i>Benaglio nell' aprimento del</i> <i>Sinodo Ottavo . . . . .</i>	495
"	<i>di Mons. Vescovo Illustr. e Reverend.</i> <i>suddetto nella seconda Ses-</i> <i>sione del Sinodo . . . . .</i>	201

ALLOCUZIONE di Sua Ecc. Reverendiss. Bartolomeo		
Conte Romilli Arcivescovo di		
Milano per la Chiusura del		
Synodo Ottavo di Lodi . . .		Pag. 209
APPENDIX	I. Ad cap. I de Fide catholica.	
	<i>Istruzione per impedire la diffu-</i>	
	<i>sione dei libri cattivi. . . .</i>	" 219
	<i>Regole. . . . .</i>	" 220
"	II. Ad cap. I de Fide catholica.	
	<i>Constitutio Leonis PP. XII, quæ</i>	
	<i>incipit Quo graviora, in qua</i>	
	<i>dammantur conventicula nun-</i>	
	<i>cupata - de' Liberi Muratori -</i>	
	<i>et quævis aliæ secretæ societa-</i>	
	<i>tes, ann. 1825 diei 13 Martii . . .</i>	" 221
	<i>Constitutio Clementis PP. XII quæ</i>	
	<i>incipit In eminenti de eadem</i>	
	<i>re, anni 1757 diei 29 Aprilis. . .</i>	" 222
	<i>Continuationes ejusdem Constitu-</i>	
	<i>tionis Leonis XII . . .</i>	" 225 et 229
	<i>Constitutio Benedicti XIV quæ in-</i>	
	<i>cipit Providas de eadem re,</i>	
	<i>anni 1754 diei 17 Martii . . .</i>	" 225
	<i>Constitutio Pii VIII, quæ incipit</i>	
	<i>Ecclesiam a Jesu Christo de</i>	
	<i>eadem re, anni 1821 diei 13</i>	
	<i>September . . . . .</i>	" 250
	<i>Epistola Encyclica Pii IX fel. regn.</i>	
	<i>ad omnes Patriarchas, Pri-</i>	
	<i>mates, Archiepiscopos et Epi-</i>	
	<i>scopos, anni 1846 diei 9 No-</i>	
	<i>rember . . . . .</i>	" 245

APPENDIX	III.	<i>Indulgentiæ plures in Synodo specialiter commendatæ.</i>	
		<i>Ad cap. 2. Per la Dottrina Cristiana . . . . .</i>	Pag. 258
		<i>Ad cap. 5. Per la spiegazione del santo Vangelo. . . . .</i>	" 260
		<i>Ad cap. 9. Pro Communionem in sex Dominicis dictis S. Aloysii Gonzagæ . . . . .</i>	" ibi
		<i>Ad cap. 14. Per l' Orazione mentale Per la recita dei 5 Pater, etc., nel Venerdì . . . . .</i>	" 261
		<i>Per gli Atti delle Virtù Teologali</i>	" ibi
		<i>Per la recita dell' Angelus Domini</i>	" ibi
		<i>Pro jaculatoria Gesù mio misericordia . . . . .</i>	" 265
		<i>Per la Via Crucis . . . . .</i>	" 264
		<i>Per l' Opera pia della Propagazione della Fede . . . . .</i>	" ibi
"	IV.	<i>Ad cap. 10, de Sacram. Pœnitentiæ. Preces dicendæ antequam excipiantur Confessiones . . . . .</i>	" 266
"	V.	<i>Ad cap. idem, circa Casus Reservatos. Regulæ generales . . . . .</i>	" 268
		<i>Declarationes . . . . .</i>	" 269
		<i>Facultates . . . . .</i>	" 282
		<i>Monita . . . . .</i>	" 284
"	VI.	<i>Ad cap. 20, de Conventibus Cleri. Oggetti sui quali si deve estendere la visita da farsi alle Chiese dai Vicarj Foranei . . . . .</i>	" 286
		<i>Modo di fare lo Stato del Clero. . . . .</i>	" 289

APPENDIX VII. *Ad cap. 25 de implemento piorum  
onerum.*

*Norme da tenersi . . . . .* Pag. 291

*Modula della relativa tabella . . . . .* " 292

" VIII. *Ad cap. 27, de Synodali-  
um Constitutionem observatione.*

*Editti da pubblicarsi al popolo in  
varie Domeniche dell'anno . . . . .* " 294

*Regole da tenersi in Città ed in Diocesi per  
l'Orazione delle Quarant'ore . . . . .* " 297

*Indulgenze per le Quarant'ore . . . . .* " 504







## ERRATA

## CORRIGE

Pag. xvii	Lin. 13	Josephus	Aloysius
» 1	» 13	cap. 2. <sup>o</sup>	cap. 8. <sup>o</sup>
» »	» 16	radix	et radix
» 6	» 16	præcimus	præcipimus
» »	» 18	Pontificium	Pontificum
» 9	» 11	Regula	Regulam
» »	» 12	statuta	statutam
» »	» 13	firmata	firmatam
» »	» 15	volumus	volumus
» 11	» 10	da	de
» 14	» ult.	salus	<i>Si levi</i>
» 15	» 6	habent	habent
» »	» 23	Missa	Missam
» 18	» 23	Nullo	Nulli
» 23	» 23	se	sed
» 29	»	<i>Nota</i> prohibemus	prohibemus
» 46	» 15	Nati	Natos
» 53	» 12	interioris	interiori
» 59	» 5	suum, edoceant	suum edoceant
» 63	» 12	nempue	nempe
» 66	» 2	Eucharistia	Eucharistiam
» »	» 13	Expositio	Expositionem
» 74	»	<i>Nota</i> quam	quem
» 75	» 6	auctores, alicunde	auctores alicunde
» 101	» ult.	neprope	ne prope
» 103	» 15	Ecclesis	Ecclesiis
» 110	» 14	constitui	constituti
» 112	» 14	ecclesiæ	ecclesia
» »	» 18	docendam	docendos
» »	» 25	conveniat	conveniant
» 114	» 26	Meminerit	Meminerint
» 125	» 17	tamesti	tametsi
» 126	» 12	nullique	nullisque
» 158	» 1	Presbyteros Clericosque	Presbyteri Clericique
» 142	» 10	illo	isto
» »	» 19	aliosque	aliosque
» 152	» 1	attingens	attingens
» 153	» 5	injicient	injicient
» 154	» ult.	animadversos	animadversuros
» 167	» 9	consumimus	censuimus
» 200	» 21	excelsis	excitati

## ERRATA

<i>Pag.</i>	215	<i>Lin.</i>	11	vergona
»	225	»	2	indiciem
»	250	»	17	unau
»	240	»	10	Ecclesiae
»	245	»	15	idusmartii
»	244	»	26	possessionem
»	251	»	12	toto
»	271	»	27	dumtaxat
»	272	»	14	consilium
»	278	»	1	.... queant.
»	»	»	9	clausolæ
»	282	»	4	Auctorite

## CORRIGE

vergogna
indicem
una
Ecclesie
idus martii
possessionem
tota
dumtaxat
consilium
.... queant. Idem de vitibus. Vir-
gulta non comprehenduntur. Sola
arboris aut vitis <i>incisio</i> reserva-
tur.... quare nec qui arborem
aut vitem....
clausula
Auctoritate

